XLIII. Anth. Pal. XII 134. — 3. ἡνίκ' ἔπινε] ἦγκ' ἔπινε AP, ἡνίδ' ἔπινε Dorvillius, emendavit Schneiderus Philol. Gott. IV p. 562 τὸ τρίτον recte de tertio poculo intelligens. cf. Fragm. CIX 3 περιστείχοντος ἀλείσου τὸ τρίτον, et illud a Diomede in Bekkeri Anecd. p. 946, 17 servatum βάλε μοι βάλε τὸ τρίτον εἴη, quae cupidi potatoris verba esse putabam dissentiens a Naekio Opusc. II p. 157. — 4. ἀπὸ στεφάνων] ita Athenaeus XV p. 669 d. ἀπὸ στομάτων AP, unde

ὤπτηται μέγα δή τι· μὰ δαίμονας οὐκ ἀπὸ ῥυσμοῦ
εἰκάζω, φωρὸς δ' ἴχνια φὼρ ἔμαθον.

XLIV.

Ἔστι τι ναὶ τὸν Πᾶνα κεκρυμμένον, ἔστι τι ταύτῃ
ναὶ μὰ Διώνυσον πῦρ ὑπὸ τῇ σποδιῇ.
οὐ θαρσέω· μὴ δή με περίπλεκε· πολλάκι λήθει
τοῖχον ὑποτρώγων ἡσύχιος ποταμός.
τῷ καὶ νῦν δείδοικα Μενέξενε, μή με παρεισδὺς
οὗτος ὁ σιγέρπης εἰς τὸν ἔρωτα βάλῃ.

XLV.

Ἀηφθήσῃ περίφοιτε Μενέκρατες' εἶπα πανήμου
εἰκάδι, καὶ λώου τῇ — τίνι; τῇ δεκάτῃ
ἦλθεν ὁ βοῦς ὑπ' ἄροτρον ἑκούσιος. εὖ γ' ἐμὸς Ἑρμᾶς
εὖ γ' ἐμός. οὐ παρὰ τὰς εἴκοσι μεμφόμεθα.

XLVI.

Ὡς ἀγαθὰν Πολύφαμος ἀνεύρετο τὰν ἐπαοιδάν

ἀπὸ κροτάφων Dorvillius, *ἀπ' ὀστλίγγων* Schneiderus coniecit perelegante emendatione. interim retinui Athenaei scripturam, quam tuetur Propertius II 12, 51 *ac veluti folia arentes liquere corollas.* quae comparavit iam Ruhnkenius.

ἐγένοντο] Dorvillius *ἐχέοντο*, coniectura inutili. — 5. *ὤπτηται μέγα δή τι*] ita correxit Bentleius. AP *ὤπτημαι μεγαλητί.* *ἀπὸ ῥυσμοῦ*] i. e. *ἀπὸ τρόπου*, *praeter solitum.* nodum in scirpo quaerit Blomfieldus.

XLIV. Anth. Pal. XII 139. — 2. *Διώνυσον*] AP *Διόνυσον.* — 3. *μὴ δή με*] an *μὴ μή μέ*? de quo v. ad Cer. 18. — 6. *ὁ σιγέρπης*] *ὁ σειγάρνης* AP. correxit Bentleius.

εἰς τὸν] *εἰς σὸν* malim. tum *βάλῃ* Heinsius, *βάλληι* AP.

XLV. Anth. Pal. XII 149. — 1. *περίφοιτε*] recepi Bentleii emendationem certissimam. AP *περὶ φεῦγε.* Jacobsius aliique *περίφευγε*, quod nihil est. — 2. *τῇ—τίνι*] ita Schaeferus, vulgo *τῇ τίνι;* — 4. *εὖ γ' ἐμὸς*] forsan *εὗρέ μοι.* vid. Diatriben ad h. l.

XLVI. Anth. Pal. XII 150. cf. schol. Theocriti XI 1. — 1. *ἀνεύρετο*] vulgo *ἀνεύρατο*, recta forma etiam

τώραμένῳ· ναὶ γᾶν οὐκ ἀμαθὴς ὁ Κύκλωψ.
αἱ Μοῖσαι τὸν ἔρωτα κατισχναίνοντι Φίλιππε.
ἦ πανακὲς πάντων φάρμακον ἁ σοφία.
τοῦτο, δοκέω, χἀ λιμὸς ἔχει μόνον ἐς τὰ πονηρὰ
τὠγαθόν, ἐκκόπτει τὰν φιλόπαιδα νόσον.
ἔσθ' ἁμῖν χἀκαστὰς ἀφειδέα πρὸς τὸν ἔρωτα.
τουτὶ παῖ κείρει τὰ πτερὰ παιδάριον.
οὐδ' ὅσον ἀττάραγόν τυ δεδοίκαμες· αἱ γὰρ ἐπῳδαὶ
οἴκοι τῶ χαλεπῶ τραύματος ἀμφότεραι.

XLVII.

Τὴν ἁλίην Εὔδημος, ἀφ' ἧς ἅλα λιτὸν ἐπέσθων
χειμῶνας μεγάλους ἐξέφυγεν δανέων,
θῆκε θεοῖς Σαμόθρᾳξι, λέγων ὅτι τήνδε κατ' εὐχήν,
ὦ λαοί, σωθεὶς ἐξ ἁλὸς ὧδ' ἔθετο.

alias usus est Callimachus. v. ad h. Del. 323. — 2. *τώραμένῳ· ναὶ γᾶν οὐκ ἀμαθὴς*] AP *τωρραμενωναιγαν οὐκαθημας*. Eldickius apud Valckenarium ad Callim. Eleg. p. 82. *τώραμένῳ μανιᾶν οὐκ ἀμαθής*. praeclare inchoatam emendationem optime perfecit Heckerus Comment. de Anth. ed. pr. p. 367. — 4. *πανακὲς*] AP *πάνες*, correxit Bentleius e Clem. Alex. Strom. V p. 687, 15. — 5. *τοῦτο δοκέω*] AP *τοῦ δοκέω*, Salmasius *τοῦτο δοκέω*, quod sine causa *τοῦτο δοκῶ* scripsit Blomfieldus. — 6. *ἐκκόπτει*] *ἐκκόπτειν* Heckerus. — 7. *χἀκαστὰς*] *κἀκεστὺς* coniciebat Ruhnkenius Epist. crit. II p. 132. *χ' ἅδ' ἀσπὶς* Heckerus, *τάδ' ἀκέσματ'* Jacobsius. non liquet. statim *ποττὸν* Brunckius. — 8. *τουτὶ παῖ κείρει*] AP *τουτιπαικειρευ*, Jacobsius *τοῦτ' ἐπικείρει σευ*, atticum *τουτὶ* merito suspectans. pro *παι* apogr. Lips. *ναί*. tentabam *τούτοις, παῖ, κείρω τὰ πτερὰ παιδαρίων*. — 9. *τυ*] *τι* AP, *τοι* cod. D. Etym. M. p. 168, 4. emendavit Bentleius. *δεδοίκαμες*] Etym. M. *δέδοικεν*, Valck. ad Theocr. I 16 *δεδοίκομες*. *αἱ γὰρ ἐπῳδαὶ*] suspicor *αἱ δ' ἐπαοιδαί*. cf. ad Del. 257. — 10. *οἶκοι*] *οἴκῳ* vulgo, *οἴκω* AP, correxit Bentleius.

XLVII. Anth. Pal. VI 301. v. Bentleium praef. ad dissert. Phalar. p. 117. Lips.

XLVIII.

Εὐμαθίην ᾐτεῖτο διδοὺς ἐμὲ Σῖμος ὁ Μίκκου
ταῖς Μούσαις· αἱ δὲ Γλαῦκος ὅκως ἔδοσαν
ἀντ᾽ ὀλίγου μέγα δῶρον. ἐγὼ δ᾽ ἀνὰ τήνδε κεχηνώς
κεῖμαι τοῦ Σαμίου διπλόον, ὁ τραγικός
παιδαρίων Διόνυσος ἐπήκοος. οἱ δὲ λέγουσιν
'ἱερὸς ὁ πλόκαμος' τοὐμὸν ὄνειαρ ἐμοί.

XLIX.

Τῆς Ἀγοράνακτός με λέγε, ξένε, κωμικὸν ὄντως
ἀγκεῖσθαι νίκης μάρτυρα τοῦ Ῥοδίου
Πάμφιλον, οὐκ ἐν ἔρωτι δεδαυμένον, ἥμισυ δ᾽ ὀπτῇ
ἰσχάδι καὶ λύχνοις Ἴσιδος εἰδόμενον.

L.

Τὴν Φρυγίην Αἴσχρην, ἀγαθὸν γάλα, πᾶσιν ἐν ἐσθλοῖς
Μίκκος καὶ ζωὴν οὖσαν ἐγηροκόμει

XLVIII. Anth. Pal. VI 310. — 1. *διδοὺς ἐμὲ Σῖμος*] *δίδου με σημός* AP. correxit Ernestus, nisi quod *Σιμός* scripsit pro recto *Σῖμος*. — 2. *Γλαῦκος*] *γλεῦκος* ante Bentleium. — 6. *ἱερὸς ὁ πλόκαμος*] haec Euripidis esse Bacch. 494 annotavit Bentleius. *ὄνειαρ*] fort. *ὄνειρον*. v. Diatriben ad h. l.

XLIX. Anth. Pal. VI 134. — 3. *οὐκ ἐν ἔρωτι δεδαυμένον*] pro *δεδαυμένον* AP *δεδαγμένον*, Bentleius *δεδαυμένον*. Hesychius hunc ipsum locum respiciens *Δεδαυμένον. περιπεφλεγμένον.* ubi malim scribi *πυρὶ πεφλεγμένον.* praeterea Jacobsius tentat *αἰὲν ἔρωτι*. fort. *εὖ μὲν ἔρωτι*. *ὀπτῇ*] vulgo *ὦπται*. v. Diatriben.

L. Anth. Pal. VII 458. — 1. *ἀγαθὸν γάλα*] Valckenarius ad Adon. p. 351 *ἀγαθοῦ γάλα* tentat, quod interpretatur *ἀγαθοῦ γάλακτος χάριν*, quod nemini placebit. similiter *μαστὸν* dixit poeta h. in Cer. 94 *χὠ μαστὸς τὸν ἔπωνε*, de nutrice cuius lac biberat puer. nec dissimile incerti poetae dictum *οὔθατα βόσκει* i. e. capras lactantes apud Hesychium s. *οὔθατα*. simile item *γαστὴρ* de Neronis matre dictum in Sibyllinis Orac. V 145 *ὤλεσε γὰρ πολλοὺς καὶ γαστέρι χεῖρας ἔθηκεν,*

καὶ φθιμένην ἀνέθηκεν ἐπεσσομένοισιν ὁρᾶσθαι,
ἡ γρῆυς μαστῶν ὡς ἀπέχει χάριτας.

LI.

Τέσσαρες αἱ Χάριτες· ποτὶ γὰρ μία ταῖς τρισὶ κείναις
ἄρτι ποτεπλάσθη κἤτι μύροισι νότεῖ
εὐαίων ἐν πᾶσιν ἀρίζαλος Βερενίκα,
ἇς ἄτερ οὐδ᾽ αὐταὶ ταὶ Χάριτες Χάριτες.

LII.

Τὸν τὸ καλὸν μελανεῦντα Θεόκριτον, εἰ μὲν ἔμ᾽ ἔχθει,
τετράκι μισοίης· εἰ δὲ φιλεῖ, φιλέοις·
ναίχι πρὸς εὐχαίτεω Γανυμήδεος, οὐράνιε Ζεῦ,
καὶ σύ ποτ᾽ ἠράσθης. οὐκ ἔτι μακρὰ λέγω.

LIII.

Καὶ πάλιν, Εἰλείθυια, Λυκαινίδος ἐλθὲ καλεύσης
εὔλοχος ὠδίνων ὧδε σὺν εὐτοκίῃ·
ἧς τόδε νῦν μέν, ἄνασσα, κόρης ὕπερ, ἀντὶ δὲ παιδός
ὕστερον εὐώδης ἄλλο τι νηὸς ἔχοι.

ubi *χεῖρας ἐφῆκεν* scribendum est. — 3. *ἐπεσσομένοισιν*] *ἐπ᾽ ἐσσομένοισιν* AP. — 4. *ἡ γρῆυς μαστῶν ὡς*] *ἡ γρῆυς ὡς μαστῶν ὡς* AP, unde Jacobsius *γρηῦς τῶν μαστῶν ὡς*.

LI. Anth. Pal. V 145. cum epigraphe *Καλλιμάχου εἰς τὴν γυναῖκα Πτολεμαίου Βερενίκην*, de qua v. Valckenarium ad Callimachi Eleg. p. 45 et Heckerum Comment. Callim. p. 17. — 2. *ἀρίζαλος*] *ἀρίζηλος* ante Brunckium.

LII. Anthol. Pal. XII 230. — 1. *ἔχθει*] *ὀχθεῖ* AP, *ἔχθει* apogr. Voss. — 4. *καὶ σύ ποτ᾽ ἠράσθης*] *καὶ ἁ ποθ᾽ ἠράσθης* AP, emendate edd.

LIII. Anth. Pal. VI 146. iteratum in cod. Palatino p. 194. — 2. *εὐτοκίῃ*] *εὐτυχίῃ* loco sec. fort. *εὐκολίῃ* scribendum. — 3. *ἧς τόδε*] *ὡς τοι* loco sec. *ὡς τόδε* loco primo. correxit Jacobsius.

LIV

Τὸ χρέος ὡς ἀπέχεις Ἀσκλήπιε τὸ πρὸ γυναικός
Δημοδίκης Ἀκέσων ὤφελεν εὐξάμενος,
γινώσκεις. ἢν δ' ἄρα λάθῃ καὶ μισθὸν ἀπαιτῇς,
φησὶ παρέξεσθαι μαρτυρίην ὁ πίναξ.

LV

Τῷ με Κανωπίτᾳ Καλλίστιον εἴκοσι μύξαις
πλούσιον ἁ Κριτίου λύχνον ἔθηκε θεῷ,
εὐξαμένα περὶ παιδὸς Ἀπελλίδος· ἐς δ' ἐμὰ φέγγη
ἀθρήσας φήσεις 'ἕσπερε πῶς ἔπεσες.'

LVI

Φησὶν ὅ με στήσας Εὐαίνετος (οὐ γὰρ ἔγωγε
γινώσκω) νίκης ἀντί με τῆς ἰδίης
ἀγκεῖσθαι χάλκειον ἀλέκτορα Τυνδαρίδῃσιν.
πιστεύω Φαίδρου παιδὶ Φιλοξενίδεω.

LVII

Ἰναχίης ἕστηκεν ἐν Ἴσιδος ἡ Θάλεω παῖς
Αἰσχυλὶς Εἰρήνης μητρὸς ὑποσχεσίῃ.

LVIII

Τίς ξένος ὦ ναυηγέ; Λεόντιχος ἐνθάδε νεκρόν

LIV. Anth. Pal. VI 147. — 2. ὤφελεν] nisi metrum coegisset, non dubium est quin ὤφειλε scripsisset. — 3. γινώσκεις] γιγνώσκειν AP. emendavit Tyrwhittus aliique. statim μισθόν, pro quo AP et Suidas μιν habent, optima Porsoni emendatio est App. ad Toupii Emend. p. 485.

LV. Anth. Pal. VI 148. — 2. ἁ Κριτίου] vulgo ἡ Κριτίου. — 4. πῶς ἔπεσες] *quam contemtus iaces.*

LVI. Anth. Pal. VI 149.

LVII. Anth. Pal. VI 150.

LVIII. Anth. Pal. VII 277. — 1. *Τίς ξένος ὦ ναυηγέ*] haec intelligi non possunt, nec placere potest

εὗρεν ἐπ' αἰγιαλοῖς, χῶσε δὲ τῷδε τάφῳ,
δακρύσας ἐπίκηρον ἑὸν βίον· οὐδὲ γὰρ αὐτός
ἥσυχος, αἰθυίῃ δ' ἶσα θαλασσοπορεῖ.

LIX

Εὐδαίμων, ὅτι τἆλλα μανεὶς ὡρχαῖος Ὀρέστας,
Λεύκαρε, τὰν ἁμὰν οὐκ ἐμάνη μανίαν.
οὐδ' ἔλαβ' ἐξέτασιν τῶ Φωκέος, ἅτις ἐλέγχει
τὸν φίλον, ἀλλ' ἀεὶ ἓν δρᾶμ' ἐδίδαξε μόνον.
ἦ τάχα κα τὸν ἑταῖρον ἀπώλεσε τοῦτο ποήσας.
κἠγὼ τοὺς πολλοὺς οὐκ ἔτ' ἔχω Πυλάδας.

LX

Οἵτινες Ἀλείοιο παρέρπετε σᾶμα Κίμωνος,
ἴστε τὸν Ἱππαίου παῖδα παρερχόμενοι.

LXI

Αἴνιε, καὶ σὺ γὰρ ὧδε, Μενέκρατες, οὐκ ἐπὶ πουλύ

Jacobsii coniectura τῇ ξένος ὤν, ναυηγέ, Λεόντιχος i. e. *Leontichus ipse in his regionibus hospes.* fortasse illa verba ex integro disticho et dimidia tertii versus parte supersunt, ut quae exciderunt hanc fere sententiam habuerint: *quis te hospes, o naufrage, sepulcro condidit? naufragum enim te esse neque alio mortis genere occubuisse indicat impositus sepulcro tuo remus.* sequentia respondentis sunt mortui. — 4. αἰγιαλοῖς] ita Bentleius, AP αἰγιαλούς quod non aptis locis defendit Jacobsius. fortasse tamen αἰγιαλοῦ scribendum. ἥσυχος, αἰθυίῃ] ita scripsi cum Hemsterhusio ad Fragm. CXI p. 483 Ern. vulgo ἥσυχον αἰθυίης, AP ἥσυχον αἰθυίῃ. non credo tamen locum persanatum esse.

LIX. Anthol. Pal. XI 362. — 1. τἆλλα μανεὶς] AP ταλαμάνεις. correxit Ernestus. ὡρχαῖος] ὡργεῖος Jacobsius. — 2. Λεύκαρε, τὰν ἁμὰν] AP λευκαρετανμαν. correxit Schneiderus. v. Diatr. — 4. ἀλλ' ἀεὶ ἓν] vulgo ἀλλὰ καὶ ἕν, AP ἀλλαι χ' ἕν, quod correxi. — 5. κα] legebatur καί, quod κεν scribi voluit Jacobsius. — 6. κἀγὼ vulgo.

LX. Anth. Pal. VII 523. — 1. Ἀλείοιο — σᾶμα] ante Heringam ἀλλοιο — σῆμα.

LXI. Anth. Pal. VII 725. Expressit Virgilius Catal. XIV *Qui deus*

ἦσθα. τί σε, ξείνων λῷστε, κατειργάσατο;
ἦ ῥα τὸ καὶ Κένταυρον. 'ὅ μοι πεπρωμένος ὕπνος
ἦλθεν, ὁ δὲ τλήμων οἶνος ἔχει πρόφασιν'.

LXII

Κυνθιάδες θαρσεῖτε. τὰ γὰρ τοῦ Κρητὸς Ἐχέμμα
κεῖται ἐν Ὀρτυγίῃ τόξα παρ' Ἀρτέμιδι,
οἷς ὑμέων ἐκένωσεν ὄρος μέγα. νῦν δὲ πέπανται,
αἶγες, ἐπεὶ σπονδὰς ἡ θεὸς εἰργάσατο.

LXIII

Οὕτως ὑπνώσαις, Κωνώπιον, ὡς ἐμὲ ποιεῖς
κοιμᾶσθαι ψυχροῖς τοῖσδε παρὰ προθύροις.
οὕτως ὑπνώσαις, ἀδικωτάτη, ὡς τὸν ἐραστὴν
κοιμίζεις· ἐλέου δ' οὐδ' ὄναρ ἠντίασας.
γείτονες οἰκτείρουσι· σὺ δ' οὐδ' ὄναρ. ἡ πολιὴ δὲ
αὐτίκ' ἀναμνήσει ταῦτά σε πάντα κόμη.

LXIV

Οὐδὲ τὸ γράμμα

Octavi te nobis abstulit? an quae | dicunt, a, nimio pocula ducta mero? | 'vobiscum si est culpa bibi: sua quemque secuntur | fata. quid immeriti crimen habent cyathi?' indicavit Heckerus Comment. de Anth. gr. I p. 161. — 1. *Αἴνιε*] *Αἴλινε* Ernestus, *Αἶ αἶ* Blomfieldus, utrumque sine causa. *οὐκ ἐπὶ πουλὺ*] *οὐκέτι πουλὺς* AP, correxit Zedelius Biblioth. crit. Amstelod. II p. 113. — 2. *λῷστε*] *ὦστε* ante Zedelium. — 3. *ἦ ῥα τὸ καὶ Κένταυρον*] ita Zedelius, nisi quod per interrogationem haec extulit. vulgo *ἤρατο*. Centauri memoria quo spectet docet Homerus Od. *φ*, 295 allatus ab Ernesto.

LXII. Anth. Pal. VI 121. — 1. *Κυνθιάδες*] *Κυνθίδες* AP, *Κυνθιάδες* Suidas s. v. *Κυνθιάδες*. de Cynthiis capris vide Apoll. 61. et Arae scriptorem Anth. Pal. XV 25. — 3. *πέπανται*] *πέπαυ$^{\nu}$ται* AP, *πέπαυσθε* Scaliger.

LXIII. Anth. Pal. V 23. Dixi de hoc epigrammate in Diatribe ad Lav. Pall. 71.

LXIV. Servavit Aelianus apud

ἠδέσθη τὸ λέγον μ᾽ υἷα Λεωπρέπεος
κεῖσθαι Κήιον ἄνδρα * * *
* * * * * *
οὐδ᾽ ὑμέας, Πολύδευκες, ὑπέτρεσεν, οἵ με μελάθρου
μέλλοντος πίπτειν ἐκτὸς ἔθεσθέ ποτε
δαιτυμόνων ἄπο μοῦνον, ὅτε Κραννώνιος αἰαῖ
ὤλισθεν μεγάλους οἶκος ἐπὶ Σκοπάδας.

LXV

Αὐτὸς ὁ μῶμος
ἔγραφεν ἐν τοίχοις ‘ὁ Κρόνος ἐστὶ σοφός’ . . .
ἠνίδε κου κόρακες τεγέων ἔπι ‘κοῖα συνῆπται’
κρώζουσιν καὶ ‘κῶς αὖθι γενησόμεθα’.

LXVI

Εἰμὶ τέρας Καλυδῶνος, ἄγω δ᾽ Αἰτωλὸν ἄρηα.

Suidam v. *Σιμωνίδης*. — 2. *τὸ λέγον μ᾽ υἷα Λεωπρέπεος*] *τὸ λεγόμενον υἱὸν Θεοπρεποῦς* ante Bentleium. — 5. *Κραννώνιος αἰαῖ*] *Κρανώνιων αἶσας* vulgo, *Κρανῶνι αἴας* A, *Κρανωνίων αἴας* V. E. Med., *Κρανώνιος αἶ αἶ* Bentleius, *Κρανωνίδος αἴας* Bernhardy speciose, non vere ut opinor, nec dorica forma ceteris apta est. — 6. *μεγάλους*] *μέγας* ante Bentleium.

LXV. Priorem epigrammatis partem *Αὐτὸς* — *σοφός* servavit Diogenes Laert. in vita Euclidis II 10, 7. alteram Sextus Empir. adv. Mathem. I p. 672. Bekk. probabilis est Tittmanni suspicio, ad idem hoc carmen pertinere Fragm. CCLIV *τῷ ἴκελον τὸ γράμμα τὸ Κώιον*.

LXVI. Schol. Euripidis Phoen. 136 ad verba *Ἄρη δ᾽ Αἰτωλὸν ἐν στέρνοις ἔχει: ὡς ἔχοντος αὐτοῦ* (Tydei) *ἐπὶ τῆς ἀσπίδος τὸν περὶ τοῦ συὸς πόλεμον. Καλλίμαχος ‘εἰμὶ — ἄρηα’. ἐπὶ* addidit Niebuhrius apud Naekium Opusc. II p. 27. quem vide etiam I p. 116. clypeum loqui opinor Aetolorum se ducem profitentem; idem *τέρας Καλυδῶνος* se dicit i. e. opus a Calydonio artifice insigni arte elaboratum. cf. Theocritum Id. I 56. de Tydeo ut cogitemus nulla causa est, videturque scholiasta non aliam ob causam Callimachi versum attulisse quam ut Euripideum *Ἄρη Αἰτωλόν* Callimachi exemplo illustraret. cf. Diatriben ad h. l.

LXVII

Λυδὴ καὶ παχὺ γράμμα καὶ οὐ τορόν.

LXVIII

Θεὸς δέ οἱ ἱερὸς ὕκης.

LXIX

Ἐς Δύμην ἀπιόντα τὴν Ἀχαιῶν ἐσχάτην.

LXX

Εἰς Μένανδρον.

EPIGRAMMATA DUBIA

I

Στήλην μητρυιῆς λιπαρὰν λίθον ἔστεφε κοῦρος,
ὡς βίον ἠλλάχθαι καὶ τρόπον οἰόμενος·

LXVII. Schol. Dionysii Per. p. 316 de Antimachi Lyde agens. contra Callimachum scripsit Asclepiades in Anth. Pal. IX 63.

LXVIII. Athenaeus VII p. 327 a. *Καλλίμαχος ἐν ἐπιγράμμασι τὸν ὕκην ἱερὸν ἰχθὺν καλεῖ διὰ τούτων ʽθεὸς (ἰχθύς?) — ὕκης᾽.* quae p. 284 c. ita scribuntur *ἱερὸς δέ τοι ἱερὸς ὕκης.* ad idem epigramma fortasse pertinet Fragm. CLVI. ex Etym. M. p. 210, 39. *ἐξ ἁλὸς οὐδ᾽ ὕκην ἀνέρα Βουχέτιον | ἕλκειν εἰς ἀκτήν.* si tamen recte ita Bentleius emendavit quod vulgo legitur *οὐ δίκην*, nec potius *οὐδ᾽ ἴκτην* scribendum est, ut Buchetii ne supplicem quidem ex mari in litus trahere dicantur.

LXIX. Stephanus Ethn. p. 241, 1 *Δύμη, πόλις Ἀχαΐας, ἐσχάτη πρὸς δύσιν, ὅθεν καὶ Καλλίμαχος ἐν ἐπιγράμμασιν ʽἐς Δύμην ἀπιόντα τὴν Ἀχαιῶν [ἐσχάτην᾽].* ita enim supplevi haec et correxi Anal. Alex. p. 107.

LXX. Schol. Ovidii Ib. 589. *Menander comicus Atheniensis, dum in Piraeo portu nataret, submersus est. de quo nobilissimae a Graecis editae traduntur elegiae et a Callimacho epigramma.*

EPIGRAMMATA DUBIA

I. Anth. Pal. IX 67. — 1. *λιπαρὰν*] *μικρὰν* AP, quod alii aliter, ego *λιπαρὰν* scripsi. v. Diatriben ad h. l. — 2. *βίον*] *βίου* AP, *βίον*

ἣ δὲ τάφῳ κλινθέντα κατέκτανε παῖδα πεσοῦσα.
φεύγετε μητρυιῆς καὶ τάφον οἱ πρόγονοι.

II

Τὸν καλὸν ὡς ἰδόμαν Ἀρχέστρατον, οὐ μὰ τὸν Ἑρμῶ
οὐ καλὸν αὐτὸν ἔφαν· οὐ γὰρ ἄγαν ἐδόκει.
εἶπα, καὶ ἁ Νέμεσίς με συνάρπασε, κεὐθὺς ἔκειμαν
ἐν πυρί, παῖς δ' ἐπ' ἐμοὶ Ζεὺς ἐκεραυνοβόλει.
τὸν παῖδ' ἱλασόμεσθ' ἢ τὰν θεόν: ἀλλὰ θεοῦ μοι
ἔστιν ὁ παῖς κρέσσων· χαιρέτω ἁ Νέμεσις.

III

Πολλάκι δὴ φυλῆς Ἀκαμαντίδος ἐν χοροῖσιν ὧραι
ἀνωλόλυξαν κισσοφόροις ἐπὶ διθυράμβοις
αἱ Διονυσιάδες, μίτραισί τε καὶ ῥόδων ἀώτοις
σοφῶν ἀοιδῶν ἐσκίασαν λιπαρὰν ἔθειραν,
οἳ τόνδε τρίποδά σφισι μάρτυρα βακχίων ἀέθλων
ἔθηκαν. εὖ τούσδ' Ἀντιγένης ἐδίδασκεν ἄνδρας,
εὖ δ' ἐτιθηνεῖτο γλυκερὰν ὄπα Δωρίοις Ἀρίστων

Planudes. — 3. *κλινθέντα*] vulgo *κλινθεῖσα*, emendavit Toupius.

II. Anth. Pal. XII 140. ubi incerto tribuitur. Philippo vindicavit Piersonus Verisim. p. 83 propter Archestrati nomen, quod in Philippi carmine legitur Anth. Pal. XI 36. quae admodum incerta coniectura est. praeterea color carminis Callimacho similior quam Philippo. — 4. *παῖς δ' ἐπ' ἐμοὶ Ζεὺς*] AP *πᾶς δ' ἐν ἐμοὶ Ζεὺς*, quod correxi praeeunte Piersono, qui coniecit *παῖς δ' ἐς ἔμ' ὡς Ζεύς*. recte sine dubio *παῖς* restituit, sed reliqua non probo. nec Jacobsius bene *πᾶς*, praecedentibus id iungens et reliqua ita tentans *ἐν πυρὶ πᾶς, ὃ δ' ἔμ' ὡ[ς] Ζεύς*. uterque immemor erat notissimi usus, quo *ὡς* in comparationibu[s] omittitur. sensus est: *puer autem Jovis instar* (*alter Juppiter*) fulmin[a] in me coniecit. *ἐπὶ* pro *ἐν* coniec[it] etiam Blomfieldus. — 5. *θεοῦ*] *θε*[…] Ernestus.

III. Anth. Pal. XII 128. De ho[c] carmine v. Diatr. ad h. l. — 6. *ε*[ὖ] *τούσδ'*] ita correxi codicis script[…]

Ἀργεῖος ἡδὺ πνεῦμα χέων καθαροῖς ἐν αὐλοῖς.
τῶν ἐχορήγησεν κύκλον μελίγηρυν Ἱππόνικος
Στρούθωνος υἱός, ἅρμασιν ἐν Χαρίτων φορηθείς,
αἵ οἱ ἐπ' ἀνθρώπους ὄνομα κλυτὸν ἀγλαάν τε νίκαν
ὡρᾶν ἕκατι θῆκαν ἰοστεφάνων τε μοισᾶν.

IV

Τὰν ἅβαν ἐς ἄεθλα πάλας ἤσκησε κραταιᾶς
ἅ τε Ποσειδῶνος καὶ Διὸς ἁ γενεά.
κεῖται δέ σφιν ἀγὼν οὐ χαλκέου ἀμφὶ λέβητος,
ἀλλ' ὅστις ζωὰν εἴσεται ἢ θάνατον.
Ἀνταίου τὸ πτῶμα. πρέπει δ' Ἡρακλέα νικᾶν
τὸν Διός. Ἀργείων ἁ πάλα, οὐ Λιβύων.

V

Αὐτὸ τὸ πῦρ καύσειν διζήμενος οὗτος ὁ νύκτωρ
τὸν καλὸν ἱμείρων λύχνον ἀναφλογίσαι,
δεῦρ' ἀπ' ἐμῆς ψυχῆς ἅψον σέλας· ἔνδοθι γάρ μου
καιόμενον πολλὴν ἐξανίησι φλόγα.

ram κείνους δ'. — 8. καθαροῖς] forsan καθαρῶς. — 11. ὄνομα κλυτὸν] ὀνομακ' αὐτόν AP. ὄνομα κλυτὸν Brunckius, alii ὀνομακλυτόν. — 12. ὡρᾶν ἕκατι θῆκαν ἰοστεφάνων τε μοισᾶν] AP θῆκαν ἰοστεφάνων θεᾶν ἕκατι μοισᾶν. correxi.

IV. Anth. Pal. IX 391. Diotimo in cod. tribuitur. — 1. ἅβαν] vulgo ἥβαν. πάλας] ita Planudes, πάλης AP. — 2. Ποσειδῶνος] praestat Ποσειδᾶνος. — 3. χαλκέου] forsan χαλκέω et vs. 5 Ἀνταίω, AP χάλκεος. ἀμφὶ] ἀντὶ AP. correxit Brunckius, et sic in AP legi affirmat Dorvill. ad Charit. p. 514. — 4. εἴσεται] οἴσεται Plan. quod omnes probarunt.

V. Anth. Pal. IX 15. ubi ἀδέσποτον est. — 1. αὐτὸ τὸ πῦρ] forsan αὖθι τὸ πῦρ. cf. ad h. in Jov. 72. — 3. μου] μιν AP, μοι ed. Flor., μου Ald. forsan νῦν.

VI

Θηρῶν μὲν κάρτιστος ἐγώ, θνατῶν δ' ὃν ἐγὼ νῦν
φρουρῶ, τῷδε τάφῳ λαΐνῳ ἐμβεβαώς.
ἀλλ' εἰ μὴ θυμόν γε Λέων ἐμὸν οὔνομά τ' εἶχεν,
οὐκ ἂν ἐγὼ τύμβῳ τῷδ' ἐπέθηκα πόδας.

VII

Τὸν τριέτη παίζοντα περὶ φρέαρ Ἀρχεάνακτα
εἴδωλον μορφᾶς κωφὸν ἐπεσπάσατο.
ἐκ δ' ὕδατος τὸν παῖδα διάβροχον ἥρπασε μάτηρ,
σκεπτομένα ζωᾶς εἴ τινα μοῖραν ἔχοι.
νύμφας δ' οὐκ ἐμίανεν ὁ νήπιος, ἀλλ' ἐπὶ γούνων
ματρὸς κοιμαθεὶς τὸν βαθὺν ὕπνον ἔχει.

VIII

Γήραϊ καὶ πενίῃ τετρυμένος, οὐδ' ὀρέγοντος
οὐδενὸς ἀνθρώπων δυστυχίης ἔρανον,
τοῖς τρομεροῖς κώλοισιν ὑπήλυθον ἠρέμα τύμβον,
εὑρὼν οἰζυροῦ τέρμα μόλις βιότου.
ἠλλάχθη δ' ἐπ' ἐμοὶ νεκύων νόμος· οὐ γὰρ ἔθνησκον
πρῶτον ἔπειτ' ἐτάφην, ἀλλὰ ταφεὶς ἔθανον.

VI. Anth. Pal. VII 344 cum lemmate *Σιμωνίδου, εἰς Λέοντά τινα ὃν ἐφρούρει λέων μαρμάρινος.* **Callimacho qua auctoritate assignatum sit, nescitur. cf. Jacobsium. — 2.** *λαΐνῳ*] **forsan** *λάϊνος* **propter lemma. — 3.** *οὔνομά τ' εἶχεν*] **Plan.** *ὥς ὄνομ' εἶχεν.*

VII. Anth. VII 170. ubi Posidippo tribuitur, at alio loco cod. Pal. p. 283 Callimachi nomen adscriptum est. — 1. *τριέτη*] **ante Brunckium** *τριετῆ.* **tum** *Ἀστυάνακτα* **loco pr. — 2.** *μορφᾶς*] *μορφῆς* **AP loco sec. — 3.** *ἥρπασε*] *ἅρπασε* **Brunckius. — 4.** *σκεπτομένη* **ante Planudem. fort.** *σκεψομένα.* **— 5.** *γούνων*] *γούνοις* **AP loco sec.**

VIII. Anthol. Pal. VII 336 sine nomine. — 1. *τετρυμμένος* **AP. tum fort.** *οὐκ.* **— 2.** *ἔρανον*] **fort.** *ἔρυμα* **i. e.** *κώλυμα.* **— 4.** *εὑρὼν οἰζυροῦ*] *εὗρον ὀιζυροῦ* **ante Jacobsium.**

IX

Ἡ γρηῦς ἡ Νικὼ Μελίτης τάφον ἐστεφάνωσεν
παρθενικῆς. Ἀίδη ταῦθ᾽ ὁσίως κέκρικας;

X

Τίπτε μόθων ἄτλητος ἐνυαλίοιο λέλογχας
Κύπρι; τίς ὁ ψεύστας στυγνὰ καθᾶψε μάταν
ἔντεα; σοὶ γὰρ ἔρωτες ἐφίμεροι ἅ τε κατ᾽ εὐνὰν
τέρψις καὶ κροτάλων θηλυμανεῖς ὄτοβοι.
δούρατα δ᾽ αἱματόεντα πάρες Τριτωνίδι δίᾳ
ταῦτα· σὺ δ᾽ εὐχαίταν εἰς Ὑμέναιον ἴθι.

XI

Εὐήθης Τριτωνὶς ἐπ᾽ οὐκ ἀγαθαῖς ἐλοχεύθη
κληδόσιν· οὐ γὰρ ἂν ὧδ᾽ ὤλετο δαιμονίη
ἀρτιτόκος· τὰ δὲ πολλὰ κατήγαγεν ἐν βρέφος ᾅδη
σὺν κείνῃ· δεκάτην δ᾽ οὐχ ὑπερῆρεν ἕω.

IX. Anth. Pal. VII 187. ubi Philippo datur, alio loco Simonidi. v. Jacobsium ad VII 344. Leonidae assignat Planudes. itaque quo iure inter Callimachea receptum sit, non intelligitur. — 1. ἡ γρηῦς ἡ Νικὼ] ἡ γρῆϋς νικώ loco sec. ἡ γρηῢς Νικὼ malit Jacobsius.

X. Anth. Pal. IX 321. ubi Antimacho tribuitur, nec habet characterem Callimachium, quamvis affirmante Ruhnkenio. — 5. πάρες] κάθες AP, μέθες Plan. scripsi πάρες cll. Callimacho Jov. 72. — 6. ταῦτα] hoc sine emphasi in fine sententiae positum vide num ex πότνα corruptum sit hoc modo πάρες Τριτωνίδι δίᾳ. πότνα, σὺ δ᾽ εὐχαίταν.

XI. Anth. Pal. VII 729. Dixi de hoc carmine, cui in cod. Tymnae (Τύμνεω) nomen inscriptum est, in Delectu Anth. p. 176. — 3. τὰ δὲ πολλὰ] magnam illam qua ante uxoris obitum maritus fruebatur felicitatem dicit. nihil hic corrupti est. mox ᾅδῃ scripsi cum Brunckio. AP ᾅδαν, Plan. ᾅδην.

XII

Τίμων μισάνθρωπος ἐνοικέω· ἀλλὰ πάρελθε
οἰμώζειν εἴπας πολλά, πάρελθε μόνον.

XII. Plutarchus V. Anton. c. 70. ubi diserte Callimacho tribuitur, at cum idem epigramma in Anth. Pal. VII 30 Hegesippo tribuatur, ubi quidem duobus versibus auctum exhibetur, inter incerta recipiendum duxi. ac facile fieri potuit ut Plutarchum memoria falleret, praesertim cum simillimum sit Callimachi Epigr. III. — 1. apud Plutarchum *ἐσοικέω* legitur.

DIATRIBE

DE

CALLIMACHI LOCIS CONTROVERSIS

AD HYMNUM IN IOVEM

3.

Πηλαγόνων ἐλατῆρα, δικασπόλον οὐρανίδῃσιν.

Quod omnes libri habent *Πηλογόνων* primus correxit Salmasius ex Etymol. M. p. 669, 51 *Πηλαγόνες οἱ Γίγαντες. Καλλίμαχος 'Πηλαγόνων ἐλατῆρα'. εἴρηται παρὰ τοῦ ἐκ πηλοῦ γεγονέναι, τουτέστιν ἐκ γῆς.* Eadem Callimachi verba delitescunt apud Herodianum scholiastae Iliad. *φ'* 141 ubi de accentu nominis *Πηλεγών* agitur: *τὰ εἰς γων λήγοντα ὑπὲρ δύο συλλαβὰς τότε μὲν θέλει ὀξύνεσθαι ὁπότε διὰ τοῦ ō κλίνεται, τότε δὲ βαρύνεσθαι ὁπότε διὰ τοῦ ω̄ ἢ τοῦ ντ* (leg. *οντ*). *τοῦ μὲν οὖν προτέρου Παφλαγόνος Λαιστρυγόνος Πηλεγόνος Πηλεγόνον ἐλατῆρα* (leg. *Πηλαγόνος 'Πηλαγόνων ἐλατῆρα'*), *ἀρηγών, λέγω δὲ ἐπὶ τοῦ συμμάχου ἀρσενικῶς 'ἀρηγόνος ἡμετέροιο'.* Hoc postremum exemplum item Callimachi esse videtur pariter atque illud quod in sequentibus affertur *μέσφα Σαλάγγωνος*, quibus verbis quod vulgo adhaeret *ποταμοῦ* non poetae videtur, sed Herodiani. Herodianus igitur consentiens cum libris Callimachi in suo hymnorum exemplari habuit *ἐλατῆρα*, neque id sollicitandum esse ut alios mittam docet Aeschylus Pers. 881 ed. H. Caute Ruhnkenius ex Nonni imitatione hoc tantum disci monuit, quid Nonni aetas in suis Callimachi codd. legerit; in eo autem fallitur, quod vocem *ἐλατήρ*

in Pamphi versu apud Pausaniam VII 21 restituendam arbitratur; ibi cum vulgo de Neptuno dicta legantur haec:

ἵππων τε δωτῆρα νεῶν τ' ἰθυκρηδέμνων,

Ruhnkenius *ἐλατῆρα* pro *δωτῆρα* coniciens sensum utcunque restituit, versum corrupit pessime. Pamphus scripsisse videtur

ἵππων τε ῥυτῆρα νεῶν τ' ἰθυκρηδέμνων.

Nisi forte sufficit *σωτῆρα* scribere. Ad Callimachi locum ut redeam, originationem nominis *Πηλαγών* ab Etym. M. traditam absurdam esse quivis intelligit. Pelagonia, quod Thracicae provinciae nomen fuit, antiquitus ab Axio flumine ad Chalcidicen usque pertinebat. hanc autem et vicinas regiones Gigantum sedem habitam esse plurimis constat veterum scriptorum testimoniis. Nomen ipsum *Πηλαγόνες* vel *Πελαγόνες* (utroque enim modo scribitur) antiquam gentem denotare videtur; vix enim dubium esse potest quin cum vocabulo *πέλιος* cognatum sit, de quo Strabo Exc. VII p. 73 Kr. haec tradit: *κατὰ Θεσπρωτοὺς καὶ Μολοττοὺς τὰς γραίας πελίας καὶ τοὺς γέροντας πελίους, καθάπερ καὶ παρὰ Μακεδόσι. πελιγόνας* (sic) *γοῦν καλοῦσι τοὺς ἐν τιμαῖς.* Eodem Peliae, fortasse etiam Pelasgorum nomen referendum est. Adde Hesychium *Πηλαγόνες· γέροντες, παλαιοί, γηγενεῖς.* ubi citra necessitatem Bentleius *γίγαντες* coniecit pro *γηγενεῖς.* Cf. Vindicias Strab. p. 90. A Macedonibus idem nomen ad Syros traductum est, qui summos magistratus ita appellabant, teste Strabone. Utar hac occasione ut ignotam lexicographis vocem graecitati vindicem. In Sibyllinis oraculis V 4 de Alexandro M. haec leguntur:

καὶ μετὰ τὸν Πέλλης πολιήτορα, τῷ ὕπο πᾶσα
Ἀντολίη δεδάμαστο καὶ Ἑσπερίη πολύολβος.

In his *πολιήτορα* pro *πολιήτην* dictum esse statuunt, quod ut

fieri posse non negaverim, tamen cum alii codices et h. l. et X 4, ubi eadem repetuntur, πελιήτορα i. e. ἄρχοντα habeant, hoc ipsum sine dubio restituendum est. Non de suo hoc finxit scriptor horum oraculorum, sed ut multa alia ex antiquo doctoque poeta ipsoque fortasse Callimacho adscivit, qua de re alio tempore dicendi locus erit; imitationes enim indagare, quamquam saepe non iniucundum et subinde non nullius usus, in tali praesertim poeta qualis Callimachus est, nunc quidem a meo consilio alienum erat. Unum tamen, quoniam in proximo situm est, verbo commemorabo; nimirum vs. 5. haec leguntur:

ἐν δοιῇ μάλα θυμός, ἐπεὶ γένος ἀμφήριστον.

Manifesta imitatione haec expressit Crantor apud Diogenem Laertium IV 26 de Amoris parentibus dicens:

ἐν δοιῇ μοι θυμός, ἐπεὶ γένος ἀμφιβόητον.

Quo loco cum ego ante multos annos apud Hübnerum vol. I p. 710 ἀμφίσβητον pro ἀμφιβόητον scribendum esse coniecissem, idem hoc meorum ignaris nuper etiam aliis placuisse intellexi.

12—14.

οὐδέ τί μιν κεχρημένον Εἰλειθυίης
ἑρπετὸν οὐδὲ γυνὴ ἐπιμίσγεται· ἀλλά ἑ Ῥείης
ὠγύγιον καλέουσι λεχώιον Ἀπιδανῆες.

Accusativus μιν cum nullo pacto coeat cum verbo ἐπιμίσγεται, Benenatus suam ipse coniecturam secutus pro ἐπιμίσγεται scripsit ἐπινίσσεται, probantibus Ruhnkenio Blomfieldo aliisque. Rectius Bentleius et Lennepius vitii sedem in μίν esse intellexerunt, cui Bentleius μέν, Lennepius autem μήν substituit. Horum neutrum probari posse qui vidit O. Schneiderus Philol. I p. 268. coniecit ἵν, quod mihi alienum esse ab huius hymni dialecto nec

defendi posse videtur iis quae in Diatr. ad Del. 248 disserui. Itaque reposui *φίν* i. e. *αὐτῷ*, qua forma Callimachus pro *σφίν* plus semel usus est. Inconsulto enim Blomfieldus hanc formam ubique exterminari voluit, de quo dixi ad h. in Dian. 125. *φίν* autem pro singulari est, ut *σφέ* pro *αὐτήν* Dian. 197 aliisque locis, et *σφίν* in Homerico h. in Pan. XIX 9. cf. Hermannus Orph. p. 792. Restat ut annotationi meae de *ὠγύγιον*, quod Stephanus *ὠγύγιοι* scribendum coniecit, paucula addam. Fuit enim qui Stephanium *ὠγύγιοι* ideo necessarium duceret, quoniam lectus Rheae non *ὠγύγιον λεχῷον*, sed simpliciter *λεχῷον* ab Arcadibus dici potuerit: huic obverto, solere ita poetas loqui, ut Pindarus Fragm. 64 *ἅντε βροτοὶ Δᾶλον κικλήσκουσι, μάκαρες δὲ τηλέφαντον κυανέας χθονὸς ἄστρον.* Ceterum quod de sanctitate loci, in quo Rhea Iovem peperit, Callimachus dixit, idem testatur Pausanias VIII 26, 2 (3): *ἔστι δὲ πρὸς τῇ κορυφῇ τοῦ ὄρους σπήλαιον τῆς Ῥέας καὶ ἐς αὐτὸ ὅτι μὴ γυναιξὶ μόναις ἱεραῖς τῆς θεοῦ, ἀνθρώπων γε οὐδενὶ ἐσελθεῖν ἔστι τῶν ἄλλων.* cf. quem etiam Ruhnkenius comparavit Nonnus Dion. XIII 291 *ἀστιβὲς ἀρχεγόνοιο λεχώιον εἰσέτι Ῥείης.* Quod autem in scholiis ad Callimachi verba legitur, introeuntes in illud Rheae *λεχώιον* umbram non iacere, id cum Stephano suspectum fuerit, moneo scholiastam ad Rheae antrum transtulisse quod Pausanias VIII 38, 6 de Iovis Lycaei sacrario memoriae prodidit.

22. 23.

ᾗ πολλὰς ἐφύπερθε σαρωνίδας ὑγρὸς Ἰάων
ἤειρεν, πολλὰς δὲ Μέλας ὤκχησεν ἁμάξας.

Quod Valckenarius *δὴ πολλὰς* reponi voluit, eius rei hanc eum causam habuisse suspicor, quod *ᾗ* plerumque in orationis

initio ponitur, rarius post vocativum vel exclamationem (cuius iuncturae exempla composuit Bekkerus in Nuntiis menstr. Acad. Berol. 1860 p. 457), rarissime in media oratione, ut h. l. factum est a Callimacho et in Lav. Pall. 121 *μάντιν ἐπεὶ θησῶ νιν — ἦ μέγα τῶν ἄλλων δή τι περισσότερον.* at quod Valckenarius voluit, prorsus inusitatum Graecis, qui *δή* in orationis initio non ponunt nisi in locutionibus *δὴ τότε, δή ποτε* et *δὴ γάρ.*

Iaonis perrara est apud geographos memoria, quam ex Callimacho derivavit Dionysius Per. 416. Non indignum autem memoratu, eundem in Peloponnesi fluviis recenseri a Geographo Rav. V 22. ubi item cum Mela coniungitur. neque alio spectant nymphae Ionides de quibus dixi olim in Exercit. philol. in Athen. II p. 40. quarumque memoriam nuper etiam apud Hesychium resuscitavi in hac glossa *Ἰατροί· νύμφαι τινὲς καλοῦνται καὶ περὶ ἠαείαν*, quod *Ἠλείαν* scribendum est. quamquam cum etiam Anigro *) ipsique adeo Alpheo, Eliacis fluviis, medicam vim Pausanias et Strabo tribuant, dubitari potest an non ad hos potius quam ad Iaonem Hesychii glossa referenda sit. Cuinam parti Peloponnesi Iaon assignandus sit ambiguum est; in Achaia ponitur ab Ern. Curtio Pelop. I p. 489. qui eum non diversum esse existimat a Selinunte. Si recte Ionidas nymphas huc advocavi, in Elidem potius transferendus est, ubi etiam *Ἰωναῖον τέμενος* a Strabone VIII p. 346. memoratur, ut haud absurde conicias, Iaonem non diversum esse a Cythero fluvio, in quem Ionidum nympharum fontem exonerari tradit Pausanias VI 22, 7.

---

*) *Ἀνιγριάδες νύμφαι* in Moeronis epigrammate Anth. Pal. VI 119, ubi medicarum nympharum nomen requiritur, pro *Ἀμαδρυάδες* egregie restituit Ungerus in Bergkii *Zeitschrift für die AW.* vol. I p. 579.

24. 25.

πολλὰ δὲ Καρνίωνος ἄνω διεροῦ περ ἐόντος
ἰλυοὺς ἐβάλοντο κινώπετα.

Ita constantem librorum scripturam *Καρίωνος* correxit Arnaldus ex Pausania VIII 34. ubi duo codd. item *Καρίων* exhibent. Idem vitium obsidebat Plinium NH. IV 6 ubi in Arcadiae oppidis recensetur Carnion, libris fere *Crannon Chrannon Charnon Carmon* exhibentibus. Facile quis suspicari possit ad eiusdem oppidi memoriam pertinere hoc Herodiani de Acc. p. 14, 8 praeceptum: *τὸ δὲ Καρνὼν ὡς ἐπὶ πόλεως ὀξύνεται*, quo sine vitii suspicione utitur L. Dindorfius ad Stephanum IV p. 374 B. Sed id dubitari non potest quin ex *Κρανών* vel *Κραννών* corruptum sit. Praeterea *Καρνείωνος* scribendum erat: hanc enim veram esse formam ostendit adiectivum *Καρνεῖος*, *τὰ Καρνεῖα*. et habet hoc ipsum Suidas s. v. indicatus ab Heckero Comm. Callim. p. 83. Sequentibus verbis *ἰλυοὺς ἐβάλοντο* vitium inesse non temere statuit Valckenarius ad Adon. p. 250 C. *ἰλυοῖς εἵλοντο* a poeta scriptum coniciens. Non credo id verum esse; recte tamen, opinor, de dictione illa dubitavit: bene quidem *θεμείλια βάλλεσθαι* et similia dicuntur de fundamentis iaciendis, at multum ab his distat *ἰλυοὺς βάλλεσθαι* de ferarum lustris dictum. Nescimus vero quantum in talibus sibi permiserit Callimachus, cuius oratio nequaquam ad communem dicendi usum exigenda est. si quid tamen in his corruptum est, haud paulo probabilius fuerit *ἰλυοὺς ἐκάμοντο* conicere, quod quam facili errore in *ἐβάλοντο* corrumpi potuerit apertum est. *β* et *κ* eodem ferme ductu exarari constat, favetque emendationi nostrae Vind. qui *ἐμβάλλοντὸ* exhibet, in quo *μ* correctio esse videtur literarum *λλ* non suo loco posita.

34—36.

κευθμὸν ἔσω Κρηταῖον, ἵνα κρύφα παιδεύοιο,
πρεσβυτάτη νυμφέων αἵ μιν τότε μαιώσαντο,
πρωτίστη γενεῇ μετά τε Στύγα τε Φιλύρην τε.

Blomfieldus haec ita distinxit, ut post *πρεσβυτάτη* orationem incideret et *νυμφέων — γενεῇ* coniungeret, quod nemo probabit qui aliquem epicae dictionis usum habeat; neque Schneideri ratio probari potest Phil. Gott. I p. 266. Male item *πρεσβυτάτη* Ernestus explicat *maxime venerandae*; superlativus *πρεσβύτατος* et comparativus *πρεσβύτερος* ubicunque de personis dictus reperitur, non ad honorem sed ad aetatem refertur. Hoc si conceditur, simul concedendum est sequente versu vitiata esse verba *πρωτίστη γενεῇ*, quae verba cum anaphorae figuram contineant, cuius ea lex est ut adiectivo *πρεσβυτάτη* aliud adiectivum substitui non possit (cf. Diatr. ad Lav. Pall. 40), *πρωτίστη* ex glossemate natum locumque ita refingendum existimo:

πρεσβυτάτη νυμφέων, αἵ μιν τότε μαιώσαντο,
πρεσβυτάτη γενεὴν μετά γε Στύγα τε Φιλύρην τε.

Sed video etiam aliam eamque duplicem viam iniri posse: etenim cum alterutrum horum versuum, si abesset, nemo desideraret, facile in hanc aliquis opinionem venire possit, ut alterutrum a docto interpolatore adiectum opinetur, aut qui initio unus versus fuerat,

πρεσβυτάτη νυμφέων μετά γε Στύγα τε Φιλύρην τε,

ceteris additis in duos versus dilatatum esse coniciat. Sed de his ut quisque volet statuat. retinui interim vulgatam scripturam, nisi quod *γενεήν* scripsi pro *γενεῇ*, quae necessaria erat mutatio. recte quidem dicitur *πρωτίστη γενεῇ*, pariter ut in secundo quartoque casu *πρωτίστης γενεῇ* et *πρωτίστην γενεῇ*; at dativo ubi

opus erat, non credo quemquam *πρωτίστῃ γενεῇ* dicturum fuisse. eam ob causam scripsi *πρωτίστῃ γενεήν*, quod confirmavit mihi postea Vind., repudiata etiam Hoelzlini quamvis non mala emendatione *πρωτίστῃ γενεῆφι μετὰ Στύγα τε Φιλύρην τε*, Ruhnkenio aliisque probata. Pro *μαιώσαντο* Blomfieldus praepropere *μαιεύσαντο* edidit propter Photium Lex. p. 241, 10 *μαιεύεσθαι λεκτέον, οὐχὶ μαιοῦσθαι.* sed hoc praeceptum ad Atticorum dialectum spectat.

42—44.

εὖτε Θενὰς ἀπέλειπεν ἐπὶ Κνωσοῖο φέρουσα
Ζεῦ πάτερ ἡ νύμφη σε (Θεναὶ δ' ἔσαν ἐγγύθι Κνωσοῦ),
τουτάκι τοι πέσε δαῖμον ἀπ' ὀμφαλός.

Haec nisi Callimachum in indicando locorum situ vel imperitum vel negligentem fuisse dicas, sic scribi non potuerunt. Cnosum in ipso maris litore sitam fuisse constat; eo igitur par est Nedam relicta Arcadia prius venisse quam Thenas, quae inter Cnosum et Idam montem, quo puer ferendus erat, sitae erant. Inepte igitur nympha Idam petitura relictis Thenis Iovem Cnosum tulisse dicitur. Itaque scribendum erat:

εὖτε Θενὰς ἀπέλειπεν ἀπὸ Κνωσοῖο φέρουσα.

Ac bene gnarum fuisse Callimachum locorum in Creta sitorum tanto probabilius est, cum ipsum in ea insula aliquantum temporis versatum esse vel ex Epigr. XXII intelligatur. Videtur autem poetae nescio quam ob causam nonnihil simultatis intercessisse cum Cretensibus, unde factum esse suspicor, ut Epimenideum illud *Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται* tam acriter iis ingereret. Praeterea non mirer equidem si quis locum mutilatum esse suspicetur. Quis enim laudet orationem sic procedentem: Rhea natum in Arcadia puerum Nedae tradidit Cretam ferendum; post-

quam autem Thenas reliquerat puerum a Gnoso ferens, decidit illi umbilicus. Non inepte igitur conicias inter 41 et 42 excidisse nonnullos versus, quibus Nympha Cretam venisse dictum erat. Nisi forte in hoc ipso multum iactatae Callimachi in eloquendo brevitatis exemplum agnoscas, qui poeta ut nimiae verbositatis arguitur, ita est etiam ubi concisam brevitatem consectatur et ad eventum festinans in medio posita omittit. Eam ob causam lacunam indicare nolui. nec dissimile compendiariae narrationis exemplum habes in H. in Del. 206. ubi Latona *ἄλης ἀπεπαύσατο λυγρῆς, ἕζετο δ' Ἰνωποῖο παρὰ ῥόον.* ubi quis non indicandum fuisse expectet, Latonam finitis erroribus primum in insulam Delon escendisse et tum demum ad Inopi ripam consedisse?

46.

Ζεῦ, σὲ δὲ Κυρβάντων ἕταραι προσεπήχυναντο.

Verbum *προσπηχύνεσθαι*, ut mihi quidem videtur, subabsurde compositum est. qui enim fieri potest, ut qui aliquem ulnis amplectitur, is hunc *ad* ulnas recipere dicatur. callide rem involvit scholiastes, qui *εἰς πήχεις ἔλαβον* interpretatur. prorsus alia ratio est verbi *προσστερνίζεσθαι*, quod rectissime dictum esse patet. hanc difficultatem sive sentiens sive non sentiens Ernestus ad hunc ipsum Callimachi locum rettulit Suidae glossam *Περιπηχύναντες· περιπλεξάμενοι Καλλίμαχος.* in qua *περιεπηχύναντο* (et *περιεπλέξαντο*) corrigit idemque Callimacho restituendum suspicatur. satis probabiliter; nolui tamen quidquam mutare, cum similiter locutus sit Rhianus Epigr. IV 3 in Anal. Alex. p. 208. *καί σε ποτὶ ῥοδέῃσιν ἐπηχύναντο χέρεσσιν.* ubi quamquam *περὶ* pro *ποτὶ* corrigi possit, hoc ipsum tamen non multum habet quo commendetur. Ac nescio an edita

scriptura ita defendi possit, ut *προσπηχύνεσθαι* esse dicamus *brachiorum circumiectu ad se trahere*, quocum comparari potest quod serioris aetatis scriptores dicunt *προσαγκαλίζεσθαι*, pro quo item ratio et usus *περιαγκαλίζεσθαι* dici postulat. Itaque *προσεπηχύναντο* idem est ac si dixisset *πήχεσι πρὸς ἑαυτὰς ἔλαβον*. audacius etiam, ne dicam absurdius, verbo *πηχύνειν* usus est Apollonius Arg. IV 972 *ἀργύρεον χαῖον παλάμῃ ἔνι πηχύνουσα*, quod quo pacto commode explicari possit, fortasse ne ipse quidem sciebat Apollonius, qui *πηχύνουσα* eodem plane sensu dixerit, quo sanus loquendi usus *κρατοῦσα* dici postulabat.

53. 54.

ἵνα Κρόνος οὔασιν ἠχήν
ἀσπίδος εἰσαΐοι, καὶ μή σεο κουρίζοντος.

Κουρίζειν quid sit intelligitur ex h. in Dian. 5 *παῖς ἔτι κουρίζουσα τάδε προσέειπε γονῆα*, et h. in Del. 324 *παίγνια κουρίζοντι καὶ Ἀπόλλωνι γελαστύν*. atque ita etiam hoc verbum praeter alios dixit Apollonius Arg. III 666 *ἥ οἱ ἐπέτις πέλε κουρίζουσα* (*κουριζούσῃ*?). Callimachus autem contra suam ipsius aliorumque consuetudinem *κουρίζειν* dixit de puero vagiente. Vereor igitur ne vitium subsit, et corrigendum opinor:

καὶ μή σεο κνυζείοντος.

Verbo *κνυζεῖσθαι* de infantis vagitu usus est Theocritus Id. II 108. activam formam enotavit Pollux V 64. *κνυζείω* pro *κνυζέω* dictum est, ut *ὑμνείω ῥείω* alia.

60.

δηναιοὶ δ' οὐ πάμπαν ἀληθέες ἦσαν ἀοιδοί.

Mirari subit Callimachum antiquos poetas Iovi sortitione

Olympi imperium obtigisse narrantes gravissime mendacii accusare, quamvis ipse eandem fabulam secutus sit in carmine, cuius hoc fragmentum servarunt schol. Pindari Nem. IX 123 et schol. Euripidis Hec. 467.

Μηκώνην μακάρων ἕδρανον αὖτις ἰδεῖν,
ᾗχι πάλους ἐβάλοντο, διεκρίναντο δὲ τιμάς
πρῶτα γιγαντείου δαίμονες ἐκ πολέμου.

Quae hoc certe docent, elegiacum carmen (Aetia puto) ex quo versus illi servati sunt, longo temporis intervallo post hymnum in Iovem a poeta fuisse compositum. Adiectivo *δηναιός*, quod antiquioribus poetis fere *longaevus* vel *diuturnus* est, Callimachus eo quo hic legitur sensu usus est etiam Fragm. CV. cuius primos versus, ut hoc in transcursu moneam, Bentleii potissimum ope adiutus ita corrigere tentavi:

οὔπω σκαλμίδος ἔργον ἐνξοον, ἀλλ' ἔτι τεθμῷ
δηναιῷ γλυφάνου ἄξοος ἦσθα σανίς.

in his *σκαλμίς* idem quod *σκαλμή*, *cultellus*, *scalprum*, non diversum a *γλυφάνῳ*. hiatum in commissura minoris versus, nisi *γλυφάνοις* scribere praestat, ipse tuetur Callimachus apud Etym. M. p. 158, 8 *ἥμισυ μὲν Πέρσαι, ἥμισυ δ' Ἀσσύριοι*, et apud schol. Pindari Ol. IV 132 *Ἐργῖνος Κλυμένου ἔξοχος ἐν σταδίῳ*. quamquam in primo horum exemplorum facile tollitur hiatus restitutis dativis *Πέρσαις* — *Ἀσυρίοις*, et in altero inserta post *Κλυμένου* particula *δέ*. non solet quidem Callimachus *δέ* pluribus verbis subicere; at *Ἐργῖνος Κλυμένου* instar unius nominis est.

H. II. 75. 76.

ἐκ δέ σε Θήρης
οὖλος Ἀριστοτέλης Ἀσβυστίδι πάρθετο γαίῃ.

Ex hoc loco viri docti, in quibus est etiam is qui accuratissime de Cyrene scripsit J. P. Thrige in libro de Rebus Cyrenensibus p. 124, collegerunt Cyrenen in eo Libyae tractu conditam esse, quem Asbystae incoluerunt, quae si Callimachi opinio fuisset, non *πάρθετο* scripsisset, sed *κάτθετο.* nunc satis apparet et ex ipso illo *πάρθετο* intelligitur, vicinam Asbystis regionem a poeta indicari, h. e. eam quae Asbystis orientem versus sita erat. Alia interpretatio placuit Ernesto, qui *πάρθετο* explicat *mandavit*, quod non credo poetam de eo dicturum fuisse, qui Apollinis sacra e Thera in Libyam transferret: ea de re Graeci utuntur verbis *θεὸν ἐν γῇ ἱδρύειν, καθιδρύειν, καταθέσθαι,* non autem *γῇ παραθέσθαι*: ut taceam etiam sic remanere quam de Asbystis movi dubitationem, quorum sedem praeter alios accurate ipse indicavit Callimachus Fragm. XIII *ἢ οἵη Τρίτωνος ἐφ' ὕδασιν Ἀσβύσταο.* Itaque nisi demonstrari potest, Asbystarum nomen ante conditam Cyrenen latius orientem versus patuisse quam postea, stabit ea quam indicavi loci interpretatio. De scriptione nominis *Ἀσβύστης* si quaeris, fuit nuper qui alteram formam *Ἀσβύτης* prorsus reiceret; sed eam praeter Agroetam Herodiani *μον. λέξ.* p. 32, 4 (ubi ex cod. scriptura *αρ αυδακηνας βυγαν* elicui *Ἀραραύκηλα Ἀσβύταν*) et Ptolemaeum Geogr. IV 4, 10 magno consensu tuentur codices Plinii NH. V 34, ubi nunc editur *Asbystae*, ab Harduino, ut videtur, invectum.

79. 80.

ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες, ἐπεὶ Διὸς οὐδὲν ἀνάκτων
θειότερον· τῷ καί σφι τεὴν ἐκρίναο λάξιν.

Mirifice exercuit hic locus ingenia criticorum, quorum plerique ea protulerunt, quae ne in mentem quidem sanae mentis homini debebant, velut quod Turnebus plaudente Ruhnkenio con-

iecit ἄνακτος. quid enim absurdius cogitari potest quam reges ideo in tutela Iovis esse dici quoniam nihil Iove rege sit divinius? rectissime Ernestus non Iovis, sed regum laudem requiri vidit vitiumque loci esse in nomine Διός. Hinc diu est quod conieci ἐπεὶ γένος οὐδὲν ἀνάκτων θειότερον, cum idem Peerlkampo ad Xenophontem Ephes. p. 258 in mentem venisse vidi, cuius ignarus eandem coniecturam nuper proposuit et docte ornavit Hauptius Ind. lect. Univ. Berol. aestiv. 1859 p. 4. Vitii origo facillime sic explicari potest, ut cum *ΓΕΝΟC* solenni errore, quo *N* et *ΔI* confunduntur, in *ΓΕΔΙΟC* abiisset, librarium versui consulturum *ΓΕ* expunxisse dicamus. Varia hominum genera recensuerat poeta, nautas, fabros, poetas, milites, venatores; recte igitur infert nullum genus hominum regibus esse divinius. Aliter de his sensit Heckerus Comment. Callim. p. 129, cui nihil mutandum, sed post ἐπεὶ Διός commate incidendum videtur, ut hic sensus evadat: *Iovis filii sunt reges, quibus quia a Iove oriundi sunt, nihil est praestantius, et ob eandem causam, quod genere tuo prognati sunt, tuum iis munus attribuisti.* Non credo haec cuiuspiam assensum latura esse.

Secundo versui haec adscripsit Bentleius: *lege σφε, non σφι. non illis decrevisti, verum illos delegisti.* Quidni *illis decrevisti*? Iuppiter reges sui in terris vicarios esse voluit, itaque rectissime suam illis sortem concessisse dici potuit.

87.

ἑσπέριος κεῖνός γε τελεῖ τά κεν ἦρι νοήσῃ.

Ante hunc versum nescio an unius vel duorum versuum lacuna indicanda sit. In superioribus poeta Iovem regibus opes attribuisse dixerat, non omnibus tamen aeque magnas: idque docere Ptolemaei exemplum, ceteros longe longeque antevertentis.

Tum sequitur ipse ille quem adscripsi versus, in quo iam non de fortunis agitur, sed de prudentia et auctoritate regia. Desideres igitur aliquid quo transitum poeta a divitiis ad illas quas dixi regis virtutes fecerat, ad eum ferme modum, quo Apollinis laudes celebrat H. in Apoll. 42.

AD HYMNUM IN APOLLINEM

14. 15.

εἰ τελέειν μέλλουσι γάμον πολιήν τε κερεῖσθαι,
ἑστήξειν δὲ τὸ τεῖχος ἐπ' ἀρχαίοισι θεμέθλοις.

Verbis *πολιὴν κερεῖσθαι* controversiam movit Schneiderus in Philol. Gott. VI p. 498, qui propter Dian. 126 *κείρονται δὲ γέροντες ἐφ' υἱάσιν*, quae de luctu patrum intelligenda sunt, hoc loco *πολιὴν κείρεσθαι* inepte dictum esse statuit ideoque *πολιήν τε κυρεῖσθαι* scribendum coniecit. Consentirem de corruptela loci, nisi barbam radendi comasque tondendi morem etiam extra luctum Graecis pariter atque Romanis usitatum fuisse constaret. Adolescentes *μέλαιναν*, senes *πολιὰν ἐκείροντο.* nullam igitur mutandi necessitatem video, optimeque editae lectionis sinceritatem adstruit Virgilius Ecl. I 29, ubi senectuti iam propior Tityrus infit *candidior postquam tondenti barba cadebat.* Iustiorem de lectionis integritate dubitationem movet secundus versus, in quo cum recte Bentleius eorum rationem improbasset, qui *ἑστήξειν* activam statuendi significationem habere opinarentur, ipse tandem eo devenit, ut *τὸ τεῖχος* subiectum enunciationis esse et ex superioribus verbum *μέλλει* ad *τεῖχος* subaudiendum existimaret. Mihi, ut dicam quod sentio, parum elegans videtur haec subita subiecti mutatio; nec muros dicendum erat diu super fundamentis suis perstare velle, sed pueros id

cupere. Quare pro ἑστήξειν verbum activae potestatis requiro, neque id longe quaerendum. scripsit enim, ut equidem opinor, Callimachus στηρίξειν δέ τε τεῖχος, ut sensus sit, si volent qui nunc pueri sunt aliquando τεῖχος fundare diu illaesum super fundamentis suis permansurum. ita enim interpretanda sunt ἀρχαῖα θέμεθλα, quod cum quadam prolepsi dictum est ac fere *diuturna fundamenta* significat, prorsus ut apud Aeschylum est Agam. 555

Τροίαν ἑλόντες δήποτ' Ἀργείων στόλος
θεοῖς λάφυρα ταῦτα τοῖς καθ' Ἑλλάδα
δόμοις ἐπασσάλευσαν, ἀρχαῖον γάνος.

ad quae videndus est Hermannus, cuius exemplis adde Pindarum apud Clementem Alex. Strom. VI p. 731 Θέμιν οὐρανίαν Μοῖραι — ἄγον σωτῆρος ἀρχαίαν ἄλοχον Διὸς ἔμμεν, i. e. *uxorem perpetuam.* Iam satis factum est Bentleio, qui suae interpretationi praesidium in his ipsis verbis quaesiverat. *si* ἑστήξειν, inquit, *est statuere* (ut quidam voluere), *inepte factum est a Callimacho, quod antiqua fundamenta dixerit potius quam nova.* At superest non nihil difficultatis in τὸ τεῖχος. Ernestus vertit *muros suos.* atqui τὰ τείχη non *muri* sunt, sed *moenia.* Itaque de urbe condenda poetam cogitasse dicendum erit, qua in re praecipuas Apollinis partes fuisse constat, ut ipse noster poeta dixit vs. 56 Φοῖβος γὰρ ἀεὶ πολίεσσι φιληδεῖ κτιζομένῃς. Obstant tamen huic interpretationi quae praecedente versu de matrimonio et senectute dixerat poeta, quibus non satis commode iungitur tam magni moliminis opus, quale condendae urbis consilium est. Quare in hanc potius inclino sententiam, ut de privata domo poetam locutum esse existimem in hunc modum:

στηρίξειν δέ τε τοῖχον ἐπ' ἀρχαίοισι θεμέθλοις.

Ut enim τεῖχος numero singulari de urbe dixit Callimachus apud

Schol. Ven. Il. χ, 56 ἐκ Λοκρῶν τείχεος Ἰταλικοῦ παρῆν ἀμύντωρ, ita ὁ τοῖχος etiam de privata domo dicere potuit, ut factum est a Pseudo-Philemone in Fragm. Com. IV p. 41 εἰς ὥρας ἐγὼ πλεύσω, φυτεύσω, τοῖχον ἄρας στήσομαι (καινόν) i. e. *destructa domo novam aedificabo.* Quamquam non satis capio cur non potius, quod omnium simplicissimum erat, scribere maluerit στηρίξειν δὲ τὸν οἶκον.

Haec mea de hoc loco est sententia, quam et olim in Fleckeisenii Annal. Philol. et Paed. 1860 p. 41 exposui et nunc etiam in adnotatione critica secutus sum. non celabo tamen lectorem, etiam aliam viam insisti posse, nimirum hanc, ut servata librorum scriptura ex μέλλουσι cognatae potestatis verbum βούλονται assumatur hac sententia: si ipsi felicem vitam transigere patriamque urbem salvam esse cupiunt. Verba cupiendi recte cum futuro iungi, multis exemplis doceri potest. Homerica composuit Bekkerus *Monatsberichte der Berl. Acad.* 1860 p. 322. quibus adde quae ex aliis scriptoribus, inprimis ex Herodoto collegit Schaeferus ad Gnomicos graec. p. 16. quamquam diversa miscens nec omnibus quae affert exemplis ad criticam rationem exactis.

50.

ῥεῖά κε βουβόσιον τελέθοι πλέον, οὐδέ κεν αἶγες
δεύοιντο βρεφέων ἐπιμηλάδες, ᾗσιν Ἀπόλλων
βοσκομένῃς ὀφθαλμὸν ἐπήγαγεν.

Scholiastae ad h. l. haec adnotatio est: βουβόσιον ὁ τόπος ἔνθα οἱ βόες νέμονται, τὸ δὲ ἐπιμηλάδες ἀντὶ τοῦ αἱ μετὰ μήλων νεμόμεναι· καὶ γὰρ καὶ τὰς αἶγας μῆλα λέγουσιν, ὡς Ὅμηρος ἐπεξηγεῖται ‘μῆλ’ ὄιές τε καὶ αἶγες ἰαύεσκον’. εἰ δὲ μεταμηλάδες γράφεται, ἀντὶ τοῦ θήλειαι ἐστίν. Qui num recte βουβόσιον interpretatus

sit dubitare licet; sequentia docent potius boum gregem intelligendum esse, quem Apolline favente *augeri* dicit, *τελέθειν πλέον*. Hoc exemplo subtracto iam nullum superest, quo *βουβόσιον* pro *βουστάσιον* dictum fuisse probari possit. De *ἐπιμηλάδες* quae dicit scholiasta inepta sunt, *μεταμηλάδες* autem, quod alios hic legisse indicat, sine dubio corruptum est, nec tamen placet quod Lobeckius Prol. Path. p. 451 coniecit *γενεμηλάδες*. Recte haud dubie Ruhnkenius in *ἐπιμηλάδες* notissimum caprarum epitheton *μηκάδες* latere suspicatus est, sed male coniecit *δεύοιντο βρεφέων ἔπι μηκάδες*, quae ex pessimo tmesium genere est. neque Dobraeum Advers. II p. 9 verum vidisse existimo *περὶ μηκάδες* corrigentem, vel Blomfieldum qui *ἔτι μηκάδες* voluit, quorum utrumque mirifice friget. Ingeniosius Heckerus *ἐπιμήλιος* coniecit, id ut sequentibus iungatur, *δεύοιντο βρεφέων, ἐπιμήλιος ἦσιν Ἀπόλλων*. sed isto Apollinis epitheto hic facile caremus, cum poeta iam supra satis indicaverit de Apolline gregum tutore agi. praeterea nec facilitatis laudem habet illa emendatio. Equidem Ruhnkenii vestigiis insistens Callimachum scripsisse suspicatus sum: *δεύοιντο βρεφέων ἐριμηκάδες*. non memini quidem hoc composito uti poetas pro simplici *μηκάδες*, at similiter alternant *μυκηταὶ βόες* et *ἐριμῦκαι βόες*, quo ipse Callimachus utitur Fragm. CCCCLII. Statim *βρέφη* de gregis subole dixit, cui consimile est, quod eodem nomine de leonis catulo usus est, notatus ideo ab Etym. M. p. 212, 37, sed inuria; nisi forte etiam Horatius culpandus est, quod capras *olentis uxores mariti* appellaverit. cf. Wesseling. ad Herod. III 153. Talia cum *ἀφελείᾳ* quadam dicuntur, nec carent venustatis laude. Denique in versibus supra scriptis advertit animum et vitii suspicione tangit, quod capras sobole augeri dicit, quas Apollo *inter pascendum* placido lumine

adspiciat, *βοσκομένης ὀφθαλμὸν ἐπήγαγε.* quorsum *inter pascendum?* num tu pascendo capras foetus concipere credis? recte omnia haberent nec quidquam desideraretur, si omisisset poeta *βοσκομένης.* nunc cum addiderit participium, alio eum uti decebat reique de qua agitur accommodatiore. Quare non *βοσκομένης*, *dum pascuntur*, poetam scripsisse arbitror, sed *βασκομένης*, *dum ineuntur.* dixit igitur verecundus poeta, ipsa verbi insolentia invidiam rei si qua est mitigaturus, *βάσκεσθαι* pro vulgari *βαίνεσθαι, βιβάζεσθαι, ὀχεύεσθαι.* quam in rem notus est versus nescio cuius Aetherii ab Eustathio ad Hom. p. 1678, 58 servatus *βαινόμενος βαίνων, ὁτὲ νυμφίος ἄλλοτε νύμφη.* Neque vel primus vel solus dixit ita Callimachus; ecce enim glossam Hesychii varie a criticis tentatam *Βάσκου· πορεύου.* vides iam nullo negotio scribendum esse *Βάσκου· ἐποχεύου*, *iniri te patere, paedicare.* prurientem satyriscum mihi audire videor in dramate satyrico.

58—64.

τετραέτης τὰ πρῶτα θεμείλια Φοῖβος ἔπηξεν
καλῇ ἐν Ὀρτυγίῃ περιηγέος ἐγγύθι λίμνης.
Ἄρτεμις ἀγρώσσουσα καρήατα συνεχὲς αἰγῶν
Κυνθιάδων φορέεσκεν, ὃ δ' ἔπλεκε βωμὸν Ἀπόλλων.
δείματο μὲν κεράεσσιν ἐδέθλια, πῆξε δὲ βωμόν
ἐκ κεράων, κεραοὺς δὲ πέριξ ἐπεβάλλετο τοίχους.
ὧδ' ἔμαθεν τὰ πρῶτα θεμείλια Φοῖβος ἐγείρειν.

Primo versu pro *τετραέτης* Valckenarius apud Santenum *τετραένης* suspicatur, quae probabilis videbitur correctio, si quis quam cupide tales formas Callimachus arripiat cogitet. Usus ea est noster in fragmento *Αἰτίων* apud Io. Lydum de Mens. IV I *τετράενον Δαμάσου παῖδα Τελεστορίδην.* Apud Theocritum

XXVIII 13 recte e codd. vestigiis restitutum est *αὐτοένει*, atque in Callimachi Epigr. XIX 1 item cod. vestigia secutus edidi *δω-δεκένη*. Eandem hanc formam superesse credo in cretica glossa Hesychii *Μαλκενίς· ἡ παρθένος. Κρῆτες.* Quod ex *μάλκος* et *ἔνος* compositum esse et mollem teneramque innuptae virginis aetatem indicare suspicatus sum. Vs. 60. ferri quidem potest *καρήατα*; at cum Apollo aram illam non ex cornutis capitibus, sed ex solis cervarum cornibus exstruxerit, mihi quidem credibile videtur, *κεράατα* potius poetam scripsisse quam *καρήατα*. Certius est, sive potius nulli dubitationi obnoxium, in sequentibus corruptum esse *ἐδέθλια*, quod recte quidem de ara, nullo autem pacto dici potest de fundamentis, quibus ara superstruenda erat. Quare edidi:

δείματο μὲν κεράεσσι θεμέθλια, πῆξε δὲ βωμόν.

sed eodem versu etiam *πῆξε* habet in quo quis offendat, quod etsi per se rectissime de ara ex cornibus componenda dici potest, hic tamen eam ob causam vitii suspicionem movet, quoniam eodem verbo paucis ante versibus usus est poeta. si quis enim curiose totam arae condendae descriptionem inspiciat, illud continuo deprehendet, de industria poetam nec sine artis laude variasse orationem ita, ut semper alio atque alio condendi verbo usus sit. dixit igitur *ὑφαίνειν, πηγνύναι, δείμασθαι, πλέκειν, ἐπιβάλλεσθαι, ἐγείρειν.* cui observationi eo plus tribuendum est, quod etiam in cornibus commemorandis, ex quibus singulae arae partes componebantur, diversis dicendi formis utitur, *κεράεσσιν, ἐκ κεράων, κεραούς*. Quam ob causam scribendum videtur:

δείματο μὲν κεράεσσι θεμέθλια, τεῦξε δὲ βωμόν.

ac ne primo potius loco, vs. 58, *ἔπηξε* in vitii suspicionem vocetur, prohibet referenda ad hunc ipsum locum glossa Hesychii *Ἔπηξεν· ἔστησε*, quamquam *θεμείλια πηγνύναι* rectius ex-

plicetur *defixit in terra*, quo sensu Callimachus Fragm. CXXXIX dixit ὀρόδαμνον Αἰγύπτῳ κατέπηξε, *surculum plantavit.* cf. Cyrus Anthol. Pal. IX 608. Vides iam rite omnia procedere: primum deus posuit fundamenta, fundamentis superstruxit aram, araeque (ut statim videbimus) superaddidit θριγκούς. In penultimo versu etiam verba ἐπεβάλλετο τοίχους corruptelam traxere. βωμός totam aram indicat, aram autem qui condidit, non intelligo quo pacto praeterea latera arae addidisse dici possit. Eam ob causam partem veri vididisse credo Valckenarium, qui teste Santeno περιβάλλετο τριγχούς coniecit. partem veri, inquam; quod enim idem περιβάλλετο scripsit, indicio est eum τριγχούς de sepimento intellexisse, quo ara muniretur. ac fuit hic sane communis veterum mos, ut sacrum aliquod a profanorum accessu prohibituri maceria similive munimento circumdarent*). Non credo tamen id voluisse Callimachum, sed θριγκούς ad ipsam aram spectare existimo, cuius superiorem partem deus undique cymatio item ex cornibus composito circumdabat. ceterum τριγχούς scribatur an θριγκούς perinde est; facilius tamen τριγχούς quam θριγκούς in τοιχούς abire potuisse apertum est. Eiusdem erroris exemplum repperisse mihi videor apud Theocritum XXIII 47. quem locum ab aliis aliter tentatum vide an recte ita correxerim:

ὧδ' εἰπὼν λίθον εἶδεν, ἐρεισάμενος δ' ὑπὸ τριγχῶς,

---

*) Saepe etiam satis habebant sacrum locum filis circumductis defendere, ex quo more explicandus est Dionysius Halic. Ant. Rom. I 15 περιείρξαντες (τὴν λίμνην) στέμμασι τοῦ μηδένα τῷ νάματι πελάζειν, ἄβατον φυλάσσουσι. quod iniuria Reiskium σκάμμασι scribi voluisse ostendit repertus nuper titulus Andaniensis VII 36 μηδὲ παρερπέτω μηθεὶς ἀμύητος εἰς τὸν τόπον, ὅν κα περιστεμματώσωντι. quibus opportune Dionysii verba adscripsit doctissimus editor Gottingensis.

ἄχρι μέσων ὤθῶν φοβερὸν λίθον, ἅπτετ' ἀπ' αὐτῶν
τὰν λεπτὰν σχοινῖδα.

i. e. his dictis conspexit lapidem, quem ubi sub *θριγκοὺς* statuit, usque ad medios eum propellens, laqueum ex his aptavit. nihil in his obscurum praeter *φοβερόν*, quod alii emendabunt; cymatium dicit id quod supernam forium partem ornabat. ex ipsis enim foribus hominem sese suspendisse ex aliis carminis locis intelligitur. Sed haec in transcursu.

Postremo versu redit poeta unde digressus erat, de industria iisdem propemodum verbis usus quae vs. 58 posuit, quo minus Ruhnkenio Epist. cr. II p. 139 obsecundandum est vs. 64 ut indignum Callimacho eicienti. Sed *ἐγείρειν* quod eodem versu legitur, si *θεμείλια* de fundamentis intelligitur, non caret offensione. frequens dicendi genus est est *ἐγείρειν χάρακα, τάφον, τεῖχος*, *erigere*, *in altum educere*, at fundamenta non *eriguntur*, sed *iaciuntur*, *deprimuntur*. Itaque vereor ne et hoc versu et fortasse etiam 58 *τὸ πρῶτον ἐδέθλια* poeta scripserit. Ceterum cf. Diatriben ad Dian. 248.

70.

πολλοὶ δὲ Κλάριον· πάντῃ δέ τοι οὔνομα πουλύ.

Mirum videri potest, Apollinem a *multis* Clarii nomine nuncupatum dici. Clarus nobilissima dei sedes fuit; a qua etiam ad alias Graeciae gentes Apollinis sacra translata fuisse per se quidem non incredibile est, at nullo confirmari potest testimonio. Commemoratur quidem *Ἀπόλλων Κλάριος* apud Corinthios cultus a Pausania II 2, 8, sed cum nullo pacto intelligi possit quid rei Corinthiis cum Claro urbe fuerit, non dubitari potest quin Corinthius ille deus non a Claro urbe, sed a *κλήρῳ*, a sortibus, nomen duxerit suum, quemadmodum etiam Tegeatae Iovem *Κλά-*

ϱιον i. e. *Κλήϱιον* colebant teste Pausania VIII 58, 9. Haec si recte disputata sunt, apertum est Callimachi errorem subesse eumque *κλᾶϱος* et *Κλάϱος* ita inter se confudissé, ut cum Apollinem apud multas Graeciae gentes *Κλαϱίου* nomine coli sciret, mensurae nominis immemor id nomen ad Clarum urbem rettulerit. In civitatibus non Doricis *Κλήϱιος* haud dubie vocatus est deus, quod nomen etiam in Callimachi h. in Del. 10 restituendum videtur, ad quem locum vide quae dixi in Diatribe. Pervulgata autem fuit haec opinio, Clarum urbem a sortibus esse nominatam (Eustath. ad Dionysii Perieg. p. 184. Schol. Apoll. Rh. I 308), eodem errore quo nostra memoria fuit qui Horatium scripsisse hariolaretur *laudabunt alii Claron Rhodon aut Mytilenen.*

72.

Σπάϱτη τοι Καϱνεῖε τόδε πϱώτιστον ἔδεθλον.

In his *τόδε* corruptum esse sensit Ruhnkenius, cuius coniecturam *πέλε* qui reiecit Ernestus, *τόγε* scribendum coniecit, meliore consilio quam eventu. Malim *πολὺ πϱώτιστον* (*ΠΟΛΥ* pro *ΤΟΔΕ*), quod sine emphasi dicere solet Callimachus, ut Del. 285. Pall. Lav. 9. Pessime omnium Valckenarius coniecit *τεόν*, immemor *τοί* dativum esse, non particulam, qua non utitur Callimachus, in hymnis quidem, ac fortasse ne in ceteris quidem carminibus dactylico metro compositis. nam quod Fragm. CXXXVI legitur *ἔκλυέ τοι, τῶν μηδὲν ἐμοὺς δι' ὀδόντας ὀλίσθοι*, particulam *τοί* Bentleius demum intulit, cuius loco scribendum potius *δή*. neque certior scriptura Fragm. XXVI, quod nunc ita scribi solet, *ἀγϱάδε τοι πάσῃσιν ἐπὶ πϱοχάνῃσιν ἐφοίτα*, cum apud Schol. Sophoclis Ant. 80. legatur *ἀγϱοδετω*. Praeter haec non repperi *τοί* nisi in loco ab Apollonio de Pron. p. 399 servato *ἐά τοι κήδεα λέξον*, quod ex lyrico carmine du-

ctum videtur et ex ionicis constat a minore*). Falli enim arbitror Heckerum Comment. Callim. p. 143.

cf. p. 151: II. 75-6.

79.

ὑστάτιον πίπτουσιν ἐπ᾽ ἰσχίον ὦ ἄνα ταῦροι.

Parum convenienter naturae dixit boves in coxam procumbere cum caeduntur. Contrarium quidem affirmat Ernestus, sed res non apparet. In genua et caput (Apollonius Arg. I 429. Nonnus Dion. V 17) procumbunt vituli bovesve cum caeduntur, in coxam autem quiescendi causa vel dormituri. Nisi igitur ipsius Callimachi error subest, crediderim *ἐπ᾽ ἴχνιον* i. e. *ἐπὶ γόνυ* poetam scripsisse, quod adstruere conatus sum adnotatione critica ad Del. 230.

80—82.

Ἰὴ ἰὴ Καρνεῖε πολύλλιτε, σεῖο δὲ βωμοί
ἄνθεα μὲν φορέουσιν ἐν εἴαρι τοσσάπερ ὧραι
ποικίλ᾽ ἀγινεῦσι ζεφύρου πνείοντος ἐέρσην.

Ad meum sensum minus eleganter arae varios flores ferre dicuntur, cum multo ad rem accommodatius et venustius sit, ipsas Horas altaria floribus cumulare. Eam ob causam *βομοῖς* scripsi pro *βωμοί*, qua correctione simul oratio evadit Callima-

---

*) Lyricorum Callimachi carminum fragmentis accedat hoc apud Etym. M. p. 336, 2 *τοὺς αὐτῷ σκοτίους ἐμπελάτειρα τέκεν γυνή.* quem versum post Annam Fabri Ruhnkenius aliique abiecta ultima voce pentametrum dactylicum esse sibi persuaserunt; at difficile dictu est, unde illud *γυνή* illatum sit. Etymologi cod. Leid. post *ἐμπελάτειρα* addit aliquid, quod Ruhnkenio *οὔτ᾽*, Gaisfordo *ὥστ᾽* esse videbatur. Hinc satis certa emendatione scribendum videtur numeris usitatissimis:

τοὺς αὐτῷ σκοτίους ἐμπελάτειρ᾽, οὐκ ἔτεκεν γυνή,

i. e. *quos ipsi spurios concubina, non legitima uxor peperit.*

cheo dicendi generi simillima. Sic enim solet loqui, subiectum in relativam enunciationis partem reiciens. In hoc ipso statim hymno vs. 112. legitur *Δηοῖ δ' οὐκ ἀπὸ παντὸς ὕδωρ φορέουσι μέλισσαι, ἀλλ' ἥτις καθαρή τε καὶ ἀχράαντος ἀνέρπει πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη λιβάς.* Del. 156 *οὐδ' ἥτις Κέρκυρα φιλοξεινωτάτη ἄλλων*, iterumque etiam audacius vs. 305 *οἱ μὲν ὑπαείδουσι νόμον Λυκίοιο γέροντος, ὅν τοι ἀπὸ Ξάνθοιο θεοπρόπος ἤγαγεν Ὠλήν*, pro *Λυκίοιο γέροντος Ὠλῆνος, ὃν ἔφερεν ἀπὸ Ξάνθου.* cui simillimum est Fragm. CLXIV, quod probabili coniectura Naekius ad Hecalen rettulit *ἀλλὰ θεῆς, ἥτις με διάκτορον ἔλλαχε Παλλάς*, i. e. *ἀλλὰ θεῆς Παλλάδος, ἥτις* — et Fragm. CCXX *χῇ Παλλάς, Δελφοί νιν ὅθ'* (i. e. *ὅτε*, non *ὅθι*) *ἱδρύοντο Προναίην.* denique ex eodem hoc usu explicandus est locus in h. Del. 229 *ὑπὸ χρύσειον ἑδέθλιον ἷζε, κύων ὥς Ἀρτέμιδος, ἥτις τε θοῆς ὅτε παύσεται ἄγρης, ἵζει θηρήτειρα παρ' ἴχνεσι*, i. e. *ὡς κύων θηρήτειρα, ἥτις ἵζει παρ' ἴχνεσιν Ἀρτέμιδος, ὅταν ἄγρας παύσηται.* ita si haec intelliguntur, non opus est Schneideri coniectura in Philol. Gott. VI p. 501 *τηρήτειρα* corrigentis.

Cum hoc scribendi genus, si quod aliud, digressiones patiatur, pauca de Hecale Callimachi dicere liceat, futuro fragmentorum Callimachi editori fortasse profutura. Dixi modo, Naekium verisimiliter illum versum, *ἀλλὰ θεῆς ἥτις με διάκτορον ἔλλαχε Παλλάς*, Hecalae fragmentis adscripsisse; non reperio tamen locum, ac fieri potest, ut memoria me fefellerit. at possunt alia quaedam frustula non sine aliqua veri specie ad celeberrimum hoc carmen referri, e. c. quod Hesychius servavit *Ἡκαλέον γελόωσα· πράως, οὐκ ἐσκυθρωπακυῖα.* quae de Hecale ad Thesei aliquod dictum suaviter subridente intelligebam. Sed hoc sane incertum esse fateor. certius est, ut mihi

quidem videtur, pertinere huc versum a scholiasta Arist. Vesp. 836. servatum sive Fragm. Bentl. CCXVI.

σὺν δ' ἄμυδις φορυτόν τε καὶ ἴπνια λύματ' ἄειρεν.

Haec Bentleio de Hercule Augiae stabulum purgante, mihi de Hecale focum purgante intelligenda videntur. cui sententiae repugnare quidem videntur verba scholiastae *ἴπνια τὰ ἀποκαθάρματα τοῦ ἰπνοῦ — Καλλίμαχος δὲ τὴν κόπρον τῶν ζῴων.* At vero quis serio sibi persuadeat *ἰπνός* unquam de stabulo dictum esse? afferunt quidem Pollucem V 91 et qui ex eodem fonte hausit Hesychium, *ἰπνός* de *κοπρῶνι* ab Aristophane in Cocalo dictum esse testantes. at si integrum locum apposuissent, quovis pignore contenderim appariturum esse, id joco comico et *παρὰ προσδοκίαν* fecisse Aristophanem, ad eam fere rationem qua Pac. 536 *γυναικῶν διατρεχουσῶν εἰς ἰπνόν.* Scholiasta autem qui Callimachum de stercore animalium dixisse affirmat, aliam huius versus scripturam ante oculos habebat a Suida v. *Ἄειρεν* servatam *καὶ ἵππια λύματ' ἄειρεν*, Ruhnkenio Epist. crit. II p. 176 probatam, sed vel ideo reiciendam, quod non equorum greges alebat Augias sed boum. itaque quidquid agas, Bentleii interpretatio ferri non potest. contra egregie versus convenit Hecalae coenam Theseo apparaturae et, ut dixi, focum purganti. Ceterum, quod interpretes monere neglexerunt, idem versus sine auctoris nomine legitur etiam in schol. Acharn. 927. ubi *ἀείρας* editur.

Aliud Hecales fragmentum olim ego mihi repperisse visus eram apud schol. Pac. 28. ubi poetae verbis *ὥσπερ γυναιξὶ γογγύλην* ex Ven. haec adscripta sunt: *ὡς τῶν γυναικῶν ἑαυταῖς ἐπιμελέστερον τριβουσῶν, ὥστε μὴ διακεχύσθαι τὴν μᾶζαν διὰ τὸ ἄτριπτον εἶναι, ἀλλὰ συνεστράφθαι. παρατετήρηκε δὲ ταῦτα καὶ Σώφρων καὶ Καλλίμαχος.* He-

cales argumentum qui noverit his lectis non punctum temporis dubitabit quin haec quoque de Hecale dicta sint coenam Theseo parante. at dubitabit credo, si resciverit post Callimachi nomen tanquam novi scholii partem inferri haec *γογγύλος ἐστὶ λίθος*. nihil amplius. quae verba cum aperte metrica sint, nulla dubitatio esse potest, quin in scholio post *Σώφρων* distinguendum et reliqua sic coniungenda sint: *καὶ Καλλίμαχος ʽγογγύλος ἐστὶ λίθος*ʼ, ut haec ad illustrandam vocem *γογγύλος* afferri manifestum sit. confirmat rem Grammaticus Crameri Anecd. Gr. vol. I p. 31, 25 *τὰ τριγενῆ* (in *υλος* exeuntia) *παροξύνεται. οἷον ἀγκύλος, καμπύλος. ʽστρογγύλος ἐστὶ λίθος*ʼ *Καλλίμαχος*. quae iam vides ita esse scribenda *ἀγκύλος, καμπύλος, στρογγύλος, ʽγογγύλος ἐστὶ λίθος*ʼ *Καλλίμαχος*. nec fugisset hoc Naekium Opusc. II p. 173 de Crameri loco dicentem, si Venetum scholion ei notum fuisset vel potius notum esse potuisset. Idem an recte *στρογγύλον* (*γογγύλον*) *λίθον* de illa Thesei petra interpretatus sit certe dubitari potest, praesertim si comparaveris quae Boeckhius ad Corp. Inscr. I p. 274 de hoc lapidum genere disputavit. Denique in scholio Veneto, ut hoc adiciam, pro *ἑαυταῖς*, quod nihil est, scribendum videtur *τὸ σταίς*. Sed revertor ad hymnos.

85. 86.

ἦ ῥ᾽ ἐχάρη μέγα Φοῖβος, ὅτε ζωστῆρες Ἐννοῦς
ἀνέρες ὠρχήσαντο μετὰ ξανθῇσι Λιβύσσῃς.

Difficile explicatu est, quo sensu poeta *ζωστῆρας Ἐννοῦς* dixerit. bellicosos intelligendos esse certum est, atque in hanc sententiam Ernestus interpretatur *succincti Bellonae viri.* in quo primum non satis intelligo *Bellonae viros*, quod si ita intelligi voluit, quasi dicatos et addictos Bellonae viros, desidero certum

10*

talis dictionis exemplum; videturque illud magis ad recentiorum quam ad graecae linguae usum dictum esse, quemadmodum nos quidem sine offensione dicimus *männer des kriegs*, *ein mann gottes*, et quae sunt similia. Non prorsus dissimile quidem esset quod dixit Diogenes tragicus apud Athenaeum XIV p. 636 a. *καίτοι κλύω μὲν Ἀσιάδας μιτρηφόρους Κυβέλας γυναῖκας*, nisi ibi *Κυβέλας* adiectivum esse dialectus doceret. quare erunt fortasse qui *ἀνέρας* hic ita dictum putent, ut apud Apollonium Arg. IV 1212 *εἰσότε Βακχιάδαι, γενεὴν Ἐφύρηθεν ἐόντες, ἀνέρες ἐννάσσαντο*, aliosque quos allegat Lobeckius ad Sophoclis Ai. 817. vel sic ut quodammodo oppositum sit sequenti *ξανθῇσι Λιβύσσης*. at remanet maxima difficultas in *ζωστῆρες*, quod non *incinctos* significat, sed *cingula*, nec unquam de personis dicitur, nisi forte huc advocare velis Apollinis epitheton *ζωστήρ*, sive a loco in quo colebatur sic dicti, sive a balteo quo cinctus ab artificibus repraesentabatur. valde tamen vereor ne apud Grammaticum, qui *ζωστῆρα Ἀπόλλωνα* commemorat, *ζωστήριος* restituendum sit, ad eandemque normam *Ἀθηνᾶ ζωστηρία* apud Grammaticum Bekkeri p. 261 pro *ζώστειρα* ubi in cod. est *ζωστῆρα*. v. Anal. Alex. p. 121. ex his intelligitur valde suspectos esse illos *ζωστῆρας Ἐννοῦς* apud Callimachum, qui si scripsisset, quod eum scripsisse conicio, *δρηστῆρες Ἐννοῦς*, omnis difficultas sublata esset.

91.

στὰς ἐπὶ Μυρτούσης κεραώδεος ἧχι μάλιστα — Legitur vulgo *Μυρτούσσης*, cuius in locum revocavi librorum scripturam, cuius mutandae nulla erat necessitas, quamque confirmat etiam aeolicum *Μυρτώσιον αἶπος*, quod de eodem Cyrenaicae monte dixit Apollonius Arg. II 505. Nimirum duae horum

nominum formae sunt, perpetua et constanti permutatione in codicibus alternantes, *Μυρτοῦσσα Μύρτουσα*, *Σκοτοῦσσα Σκότουσα*, *Ἐρεικοῦσσαι Ἐρείκουσαι*, *Πιθηκοῦσσαι Πιθήκουσαι*, *Λοπαδοῦσσαι Λοπάδουσαι*, et alia huius generis infinita. Harum formarum altera adiectivi speciem retinet, altera abicit et nominis habitum recipit. Luculenter rem ita esse ostendit Syracusarum nomen, quod cum a lacu *Συρακώ* dicto repetendum sit, primitus haud dubie *Συρακόεσσαι* vel *Συρακοῦσσαι* et dorice *Συρακῶσσαι* scribebatur, postea substantivi speciem *Συράκουσαι* induit et tanta constantia servavit, ut altera scriptura *Συρακοῦσσαι* prorsus ex usu evanuerit, nec ulla eius vestigia remanserint, nisi forte in poeticis seu malis Siculis formis *Συράκοσσαι**), *Συρακόσσιος*, *Συρακοσσίς* etc. Ad hanc igitur legem in unoquoque loco varias librorum scripturas exigendas arbitror, neque audiendi sunt ii, qui unam et legitimam formam eam esse sibi persuaserunt, quae plenam adiectivi speciem refert. Aliter de hac quaestione statuere video Cobetum in Mnemosyne vol. VIII p. 123 et ad Philostratum de Gymnast.

---

*) Haec forma cum derivatis suis quo modo explicanda sit nondum quaesitum vidi. Mea sententia *Συράκοσσαι* ex *Συρακόεσσαι* eadem ratione natum est qua *Ἀλόντιον* (Dionysius Hal. Ptolemaeus et Stephanus Byz. p. 106, 5) ex *Ἀλοέντιον*, *Πέτροσσα* ex *Πετρόεσσα*, *Θέρμοσσα* (ita enim scribendum videtur apud Strabonem VI p. 275 pro *Θέρμεσσα*, nisi malis *Θερμῆσσα*) ex *Θερμόεσσα*, *Ὀπόντιοι* ex *Ὀποέντιοι*, *Σελινόντιοι* e *Σελινοέντιοι*, *Τειχίοσσα* (de quo p. 150 dictum est) e *Τειχιόεσσα*, denique *καίροσσαι* ex *καιρόεσσαι* apud Homerum Od. VII 107 ex certa emendatione Aristarchi, de qua post Lobeckium Pathol. I p. 505 disputavit Bergkius Phil. Gott. XVI p. 578. In his omnibus exemplis, quae non dubito quin pluribus augeri possint, ambigo utrum ε̄ extritum dicam, an ō Doriensium more pro *ου* positum sit, ut in *ἄρκιος* pro *ἀρκίους* apud Callim. Cer. 35, *Φυκός* pro *Φυκοῦς*, *Σελινός* pro *Σελινοῦς* aliisque quae commemorare nihil attinet. Si vera est quam indicavi ratio, haud scio an rectius hae formae *παροξυτόνως* scribantur, *Συρακόσσαι*, *Πετρόσσα*, *Θερμόσσα* etc.

p. 70, qui unam tantummodo formam probat, properispomenam et simpliciter sibilatam, e. c. *Σκοτοῦσα*. Horum primum refellunt tituli duplicem sibilam referentes non modo in hoc ipso nomine Corp. Inscr. n. 1936, 2 ubi habes *Δαμοδίκῳ τῷ Σκοτουσσαίῳ*, sed etiam in aliis, ut in *Τειχιοῦσσα*, cuius duo exempla praestant tituli tributarii CV 17, CXXXII 10, in qua scriptura consentiunt etiam codices Thucydidis et Stephani, ut alterius formae *Τειχίουσα*, quam Boeckhius Staatsh. der Athener vol. II p. 736 ponit, nullum usquam sit vestigium, nisi in titulo Milesio nuperrime in Relatt. menstruis Acad. Berol. 1859 p. 659 edito *Χάρης εἰμὶ ὁ Κλέσιος Τειχιόσης*, in quo alterum σ lapidarii culpa excidisse suspicor. Nominativus igitur fuerit *Τειχίοσσα*, quod pro *Τειχιόεσσα* dictum arbitror, de quo v. adnotationem. De accentu autem quod Cobetus praecipit, non credo ullo unquam loco *Συρακοῦσαι* scriptum reperiri pro *Συράκουσαι*, ut ab hoc exemplo de reliquis omnibus coniectura fieri possit.

97. 98.

ἰὴ ἰὴ παιῆον ἀκούομεν, οὕνεκα τοῦτο
Δελφός τοι πάμπρωτον ἐφύμνιον εὕρετο λαός.

Recepi quam unus omnium cod. Vind. servavit scripturam *εἵνεκα*. notavit ob hunc usum Callimachum Apollonius Dyscolus de Coni. p. 505. duo eius exempla afferens ex nostro poeta *εἵνεκεν οὐχ ἓν ἄεισμα διηνεκές*, de quo disputavit Naekius Opusc. II p. 34. et *οἶδ' ἕνεκ' Εὐρυνόμη Τιτηνιάς*. haberemus opinor plura, si per librarios licuisset, qui non dubium est quin, ut h. l. factum est, saepius eam obliterarint. nec primus hoc ausus est Callimachus, qui poeta ut in historiis fabulisque tractandis nihil se pro arbitrio finxisse ipse testatur (*ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδω*), ita etiam in dictione perpauca videtur novasse, sed si quid re-

cto et communi usui repugnans reperitur, eorum pleraque non dubitandum est quin vetustiores poetas vel dialectos abstrusas aliasve causas nobis ignotas secutus usurpaverit. Duobus utar exemplis. constat verbum *πύθειν* certo et perpetuo usu primam syllabam porrigere. itaque iure advertit Naekium Opusc. II p. 87 quod dixit noster poeta Fragm. CCCXIII. *πέδιλα, τὰ μὴ πύσε νήχυτος εὐρώς*. at fecit hoc certe non sine exemplo, vel si suo ipse periculo fecit, certe sciens volensque fecit, non per ignorantiam, neque graviore nota dignus est, quam ipse Homerus qui in *πλημμυρίς* contra analogiam, ut videtur, mediam corripuit, sectatorem nactus Apollinem Rhodium. Attuli haec ideo ut Cobeti Var. Lect. p. 396. iusto durius, mea sententia, propter ipsum illud *πύσε* de Callimacho iudicium mitigarem. *Callimachus,* inquit, *cuius immensa eruditio laudari et extolli solet, scribere potuit τὰ μὴ πύσε νήχυτος εὐρώς, non recordatus in verbo πύθω et quidquid inde nascitur ῡ productum esse.* Quae iam apparet eodem iure de Homero dici posse, qui in *πλημμυρίς* mediam corripuerit, non recordatus in verbo *μύρομαι* et quidquid inde nascitur primam syllabam productam esse. Non magis convenit mihi cum Cobeto de iis, quae de promiscua mensura adiectivi *ἶσος* apud Callimachum disputat, quam suo arbitrio eum permiscere dicit. non suo arbitrio permiscet haec Callimachus, sed certam legem secutus hanc, ut *ἶσος* primam syllabam in arsi positam constanter producat, in thesi corripiat. atque eandem legem in hac voce cum summa constantia Nicander secutus est, duobus locis exceptis Ther. 646. *ῥίζεα λειήναιο, φέροις δ' ἰσορρεπὲς ἄχθος* et 678 *ἠὲ καὶ ἠελίοιο τροπαῖς ἰσώνυμον ἔρνος,* ubi de industria neque *τροπῇσιν* neque *φέροιο* scripsit, ne in quartum pedem trochaicam caesuram inferret a metrica arte huius poetae prorsus alienam. in tertio autem exemplo Ther. 643.

τῶν μὲν ἀπ' ἀνδρακάδα προταμὼν ἰσήρεα χραισμεῖν, noli dubitare quin *ἰσοήρεα* scripserit, quemadmodum alio loco *ἰσοάχθεα* dixit. Alternavit igitur Callimachus mensuram adiectivi *ἴσος*, sed certa lege alternavit; atque hoc etiam fecit antiquorum ipsiusque Homeri exemplo, in *ἄρης**) *ὕδωρ* aliisque huius generis nominibus eandem normam sequentis, ut vel hinc Cobeti doctrina evertatur, non fuisse apud Graecos, dum nativa lingua viveret, vocales ullas *ἐπαμφοτεριζούσας* affirmantis. Fuerit hoc vetustissimis temporibus, cum Graeci in primis quas tenebant sedibus, angustis finibus continerentur, postea autem in varias regiones dispersi cum caelo animum, cum animo mores vitaeque instituta, ipsam denique linguam et quae haud exigua linguae pars est, syllabarum mensuras pro cuiusque gentis indole multifariam mutaverunt.

Possem haec pluribus persequi, nisi Callimachum ab aliis quibusdam criminibus purgare in animo esset, quae veteres technici ei affricuerunt. Horum alia leviora sunt, e.c. quod *ἐπὶ ζώντων ἐχρήσατο κτητικῷ ἐπὶ σωματικοῦ μέρους*, cuius duo Grammaticus Crameri An. Ox. IV p. 329 e Callimacho exempla ponit *χεὶρ ἡ***) *Πολυδευκεῖη* et *σφυρὸν Ἰφίκλειον*, vel quod *ἔθειραι* dixerit de lanugine pudendorum *οὐδ' οἶσιν ἐπὶ κτενὸς ἔσκον ἔθειραι*, quod non dici nisi de *θριξὶ τημεληθείσαις* schol. Vict. ad Il. 20, 382. et alia huius generis satis multa. At totis viribus insurgunt illi propter ea quae ausum esse contendunt Callimachum Fragm. CXXXV:

---

*) De *ἄρης* dixi annotatione critica ad H. in Iov. 77. bellum auctorem, Manethonem, opponit Spitznerus de versu Heroico p. 213.

**) Ita enim pro *χείρη* scripsit cuius perelegans de Callimachi *Αἰτίοις* libellus commodum mihi affertur J. Rauch p. 60. praeterea *Πολυδευκεῖη* scribendum erat pro *Πολυδευκείη*.

ἀλλὰ θεόντων
ὡς ἀνέμων οὐδεὶς εἶδεν ἁματροχιάς.

Videntur haec de cursoribus dicta esse, qui tanta celeritate stadium decurrebant, ut *dum currebant non magis quam ventorum ulla eorum apparerent vestigia.* sic enim haec interpretanda sunt, quae iniuria attentavit Valckenarius Diatr. Eurip. p. 107 c. De hoc igitur loco Porphyrius Quaest. Hom. de Il. ψ, 422. haec scripsit: *οὐ δεῖ δυσχεραίνειν εἰ τῶν νῦν παιδευτῶν* (*παιδευόντων* Bentleius) *τοὺς πολλοὺς λανθάνει τινὰ τῶν Ὁμηρικῶν, ὅπου καὶ τὸν δοκοῦντα εἶναι ἀκριβέστατον καὶ πολυμαθέστατον Καλλίμαχον ἔλαθεν ἡ διαφορὰ τῆς ἁρματροχιᾶς ἣν ἔχει πρὸς τὴν χωρὶς τοῦ ρ λεγομένην ἁματροχιάν. ἔστι δὲ ἁματροχιὰ τὸ ἅμα τρέχειν καὶ μὴ ἀπολείπεσθαι, οἷον ὁμοδρομία τις οὖσα. τροχοὺς γὰρ τοὺς δρόμους ἔλεγον. ἁρματροχιὰ δὲ τροχῶν τὸ ἴχνος. — ἀγνοήσας ταῦτα ὁ Καλλίμαχός φησιν 'ἀλλὰ θεόντων — ἁματροχιάς'. βούλεται μὲν γὰρ εἰπεῖν, ὡς οὐδεὶς εἶδεν ἴχνος διὰ τὸ θεῖν ὡς ἀνέμων.* Porphyrio assentitur Cobetus Var. Lectt. p. 213. Callimachum graeco sermoni plurimum studii impendisse quaevis pagina docet; quo minus credibile est latuisse eum discrimen, quod ne imperitissimos quidem fugere potuit. quare ita potius statuendum, nomini *ἁματροχιὰ* subesse obsoletum substantivum *ἅμα* vel *ἄμα*, cuius vestigia non tantum in nomine *ἄμαξα* supersunt, sed etiam in glossa Hesychii *Ἀμάναν· ἅμαξαν*, quam impense fallatur qui ex *ἀπάναν* corruptam coniciat. Fuit igitur cascum substantivum *ἅμα*, idem quod *ἅρμα* significans, et cum *ἅμα* adverbio et verbo *ἀμᾶν* cognatum, quod proprie est *aptare, coniungere, colligere, colligare*, atque ut *ἅρμα* ab *ἄρειν*, *arctare*, descendit, et *ἀπήνη* (de cuius etymologia ineptit schol. Pindari Olymp. V p. 118. emendatus in Philol. Exerc. ad

Athen. Spec. I p. 19) ab *ἄπειν*, *apere, aptare, coniungere*, ita *ἅμα*, ut dixi, referendum est ad *ἀμᾶν*.

100.

Πυθώ τοι κατιόντι συνήντετο δαιμόνιος θήρ.

Recte dixit *κατιόντι*. Pythicus enim serpens latebat in lustris ad ripam Plisti, de cuius cursu dictum est Diatr. ad Del. 92. Locus autem, ex quo Apollo sagittas in bestiam mittebat, peculiari nomine appellabatur *Νάπη*, qua de re insignis est glossa Hesychii *Τοξίου βουνός*: *τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ ἐν Σικυῶνι· βέλτιον δὲ ἀκούειν τὴν ἐν Δελφοῖς Νάπην λεγομένην.* Haec *νάπη* fuit collis inter Delphos et Crisam situs, accurate descriptus in Homerico h. in Apoll. 282. cfr. Hermanni Opusc. VII p. 148. et scholiasta Pindari, miscens hic quidem diversa, ad Pyth. I in. *ἐκαλεῖτο τὸ πρότερον* (leg. *πρῶτον*) *Νάπη*, *εἶτα Πετρήεσσα*, *εἶτα Κρῖσα*, *εἶτα Πυθώ.* Eodem pertinet Epigramma Cyzicenum Anth. Pal. I p. 50.

θῆρα καθαιμάσσω Φοῖβος ἀπὸ σκοπιῆς,

et scholiasta Euripidis Phoen. 233 *κατοπτευτήριον* — *τόπος*, *ὅθεν κατοπτεύσας Ἀπόλλων τὸν Δελφὸν* (leg. *Δελφύνην* vel addendum *ὄφιν*) *κατετόξευσε.* Ad Hesychii locum ut redeam, *βουνὸς* satis probabilis est Musuri emendatio. egit de hac voce Naekius Opusc. II p. 146. at cum in cod. *Τοξιούβονος* scriptum sit, non minus probabiliter *Τοξίου βωμός* conicias, intellectu eodem, siquidem *βωμός* pariter ac *βουνός* recte de colle vel monte dicatur. noti sunt Bomii montes in Aetolia. cf. Stephanus Byz. p. 191, 3 et Hesychius v. *Βωμιῆς*. Ad eundem significatum revocandus est *ὁ τοῦ Σθενίου Διὸς βωμός*, de quo dixit Pausanias II 32, 7. Pro *Τοξίου* olim ego in Philol. Gott.

XII p. 625 *Λοξίου* scribendum putabam; postea eandem Dobraei in Adversariis sententiam esse comperi. nunc servandum puto *Τοξίου*, quod etsi in communi lingua pro *τοξότης* non dicitur, nihil tamen causae esse video, cur a *τόξον* recte *τοξίας* formari negetur. antiquum et obsoletum nomen fuerit, sed, ut fit, haesit loco inde ab antiquissimis temporibus celebrato.

AD HYMNUM IN DIANAM

1. 2.

Ἄρτεμιν (οὐ γὰρ ἐλαφρὸν ἀειδόντεσσι λαθέσθαι)
ὑμνέομεν, τῇ τόξα λαγωβολίαι τε μέλονται.

Parum decore poeta in ipso hymni limine Dianam lepores venari dicit, quorum loco quis non alias feras commemorari expectet? praesertim cum infra 153 sq. Hercules laudet deam, quod omissis minoribus feris, leporibus capreisque, tauros suesque venetur. Vereor igitur ne ulcus hic lateat ita fortasse sanandum:

ὑμνέομεν, τῇ τόξ' ἐλαφηβολίαι τε μέλονται.

cui coniecturae etiam ex eo praesidium paratum est quod vs. 15 dea ipsa imprimis se cervorum venatione delectari ostendit. cf. 262. *τόξα* elisum praeivit Homerus Il. I 45 *τόξ' ὤμοισιν ἔχων.* Primo versu Blomfieldus *ἐλαφρός* tentabat, sententia ab h. l. aliena. neque enim hoc dicere voluit poeta, difficile esse in tanta laudandae deae materia eius laudes tacere, sed grave esse et cum periculo coniunctum, si quis poeta eam negligat. cf. 124.

6—8.

δός μοι παρθενίην αἰώνιον ἄττα φυλάσσειν,
καὶ πολυωνυμίην, ἵνα μή μοι Φοῖβος ἐρίζῃ,
δὸς δ' ἰοὺς καὶ τόξον, ἔα πάτερ.

Ita scribi potuisse a Callimacho non negaverim. Non bene ta-

men haec sic iungi *δός μοι παρθενίην φυλάσσειν καὶ πολυωνυμίην*, ut maxime diversa vota ab eodem verbo pendeant, non est quod veteris elegantiae peritos doceam; ac cum in sequentibus constanter ad singula quae expetit Diana a Iove imperativus repetatur, etiam hic ego *δὸς πολυωνυμίην* Callimachum scripsisse puto. nimirum exciderat *δός* aut propter idem sexti versus initium aut quod archetypi folium arrosum erat; postea lacuna ab imperita manu suppleta est. Tertio versu *τόξον* Ruhnkenii est emendatio Nonni Dion. V 524 imitatione commendata: *ἀλλὰ βέλος καὶ τόξον ἔα πάτερ.* Ego olim conieceram *δὸς δ' ἰοὺς καὶ τόξ'· ἀλλ' ἔα πάτερ* cll. Homerico *τρεῖν μ' οὐκ ἐᾷ Παλλὰς Ἀθήνη.* Sed elisio vocis *τόξα* sequente incisione ad meum quidem sensum aliquid offensionis habet, quam ob causam etiam Schneideri emendationem reprobabam *δὸς δ' ἰοὺς καὶ τόξ' — ἃ ἔα πάτερ.* V. Philol. Gott. VI p. 502. Repraesentavi igitur Ruhnkenii coniecturam. at fortasse totum hemistichium ad Nonni locum conformandum est sic *ἀλλ' ἰοὺς καὶ τόξον ἔα πάτερ*, qua correctione orationem rectius conformari quivis sentiat. causa erroris eadem esse possit, qua praecedentis versus initium corruptum esse conieci.

11. 12.

ἀλλὰ φαεσφορίην τε καὶ ἐς γόνυ μέχρι χιτῶνα
ζώννυσθαι λεγνωτόν, ἵν' ἄγρια θηρία καίνω.

De *φαεσφορίᾳ* haec annotavit scholiasta: *ἢ ὅτι λαμπαδοῦχος (ἡ αὐτὴ γὰρ τῇ Ἑκάτῃ) ἢ ὅτι τοὺς μαινομένους προάγει εἰς φῶς.* harum explicationum neutra hic apta est ubi de Diana venatrice agitur, ut apud Sophoclem Trach. 214 *Ἄρτεμις ἐλαφαβόλος ἀμφίπυρος.* cf. Oed. Tyr. 207. In sequentibus aliquando sententia mihi non satis ad perspicuitatem conformata

videbatur. quod enim alte succincta incedit dea eoque celeritati pedum consulit, id ad persequendas quidem feras satis est, ad perimendas non item. Quare existimabam poetam scripsisse *ἴδ' ἄγρια θηρία καίνειν.* sed dandum est aliquid brevitatis studio nostri poetae, quo factum est ut quod libri habent ita interpretari liceat *ἵνα τὰ θηρία διώκουσα ἀποκτείνω.*

26—31.

ὣς ἡ παῖς εἰποῦσα γενειάδος ἤθελε πατρός
ἅψασθαι, πολλὰς δὲ μάτην ἐτανύσσατο χεῖρας
μέχρις ἵνα ψαύσειε.

De his quae in annotatione dixi, partim mihi confirmanda partim retractanda esse video. Omnis de scriptura loci disceptatio ab eo pendet, utrum dea revera attigisse patris mentum an tantum id conata esse dicatur. prius si verum est, non dici potuit *μέχρις ἵνα ψαύσειε*, sed scribere poeta debebat *μέχρις ἵνα ἔψαυσε.* sin alterum voluit, *ἵνα ψαύσειε* rectum est, sed inepte abundat *μέχρις.* pulcre hoc intellexit Valckenarius, qui sine dubio alterum probavit eamque ob causam corrigi voluit *λέχρις*, *corpore obliquato.* sed hoc ipsum *obliquato corpore* hic locum non habet. Filia patris genubus insidens, huius mentum apprehensura non obliquat corpus, sed erigit et attollit, ut captare possit parvula barbam patris ingentis magnitudinis. Nihil huc facit locus Apollonii Arg. I 1235, ubi rectissime Hylas in latus procumbens dicitur *λέχρις ἐνιχριμφθείς.* Recte igitur legi puto *μέχρις ἵνα*, i. e. *μέχρις οὗ*, pro *ψαύσειε* autem, nisi modorum vim poetam ignorasse dicere volumus, scribendum videtur *ψαύσασκε*, *frustra identidem manus extendit, donec tandem attingebat.* Qui his statim subiciuntur versus:

φῆ δὲ καταρρέζων 'ὅτε μοι τοιαῦτα θέαιναι

τίκτοιεν, τυτθόν κεν ἐγὼ ζηλήμονος Ἥρης
χωομένης ἀλέγοιμι,

nec ipsi labis immunes sunt; certe mirabiliter ad meum sensum Iuppiter sic universe *deas* commemorat, quasi vel cum omnibus vel cum solis deabus rem habuerit; itaque post *θέαιναι* versum excidisse conieci in hanc ferme sententiam *καὶ θνηταὶ ταῖς κεν μιγέω φιλότητι καὶ εὐνῇ*, vel sic: *θνηταί θ' αἷς κεν ἐγὼ μιγέω φιλότητι γυναῖκες*. Cf. Apollonius Arg. IV 795 *κείνῳ γὰρ ἀεὶ τάδε ἔργα μέμηλεν, ἠὲ σὺν ἀθανάταις ἠὲ θνηταῖσιν ἰαύειν.*

36.

πολλὰς δὲ ξυνῇ πόλιας διαμετρήσασθαι
μεσσόγεως νήσους τε.

Quo sensu Graeci *διαμετρεῖσθαι* urbem dixerint cum aliunde constat, tum ex ipso Callimacho intelligitur, cuius haec sunt h. in Apoll. 55

Φοίβῳ δ' ἑσπόμενοι πόλιας διεμετρήσαντο.

Dicebatur de urbium conditoribus plateas vicosque condendae urbis dimetientibus, quod alias fere *διανέμειν* dici constat. Dianae autem nullae in coloniis deducendis novisque urbibus condendis partes erant, neque si fuissent, id hoc loco commemorari debebat. Quare *διαμοιρήσασθαι* a poeta scriptum fuisse conieci. Sed ne sic quidem locum perpurgatum arbitror. vix enim intelligi potest quo *ξυνῇ* spectet. *cum aliis diis*, dices, quod fortasse ex vs. 34 *τὰ μὴ θεὸν ἄλλον ἀέξειν* supplendum est. at id ipsum non sine magna quadam duritie fieri apertum est. vitium haec tollit emendatio:

πολλὰς δὲ ξυνῇ πόλιας Διὶ μοιρήσασθαι.

ut multas urbes Diana cum Iove communiter possidere dicatur.

ΜΟΙΡΗΣΑΣΘΑΙ quam prono errore in *ΜΕΤΡΗΣΑΣΘΑΙ* abire potuerit apertum est. Neque improbabile est ad hunc ipsum Callimachi locum referendam esse glossam Hesychii *Μοιρήσασθαι· λαχεῖν*. In reliquis observa *πόλεις μεσσόγεως* dici de urbibus in continenti sitis, sive a mari longe remotis sive in ipso littore conditis. hinc factum est ut *μεσόγεια* idem plane significet quod *ἤπειρος*, de quo dixi in Diatr. ad Del. 168.

56—58.

αὖε γὰρ Αἴτνη,
αὖε δὲ Τρινακίη Σικανῶν ἕδος, αὖε δὲ γείτων
Ἰταλίη. μεγάλην δὲ βοὴν ἐπὶ Κύρνος ἀΰτει.

Non obnitar Aetnae mentionem hic recte iniectam esse affirmantibus. Verum tamen cum Sicani vicina Aetnae loca incoluerint*), ut qui Sicanorum sedem concussam esse dicat, idem etiam Aetnam motam indicet, nescio an pro Aetna alius locus a poeta commemoratus sit. Lubenter igitur amplecterer si codex aliquis *αὖε γὰρ Ἱρή* offerret. Hoc pacto poeta primum versus meridiem vicinam Liparae Hieram et remotiorem Siciliam, tum versus boream rursus vicinam Italiam et remotiorem Corsicam commemoraret. De Corsica ne mireris, ad 500 stadia Liparae sonitum audiri affirmat Callias apud schol. Apollonii Arg. III 41. Pro *Κύρνος* non hoc tantum loco, sed etiam quod adnotare neglexi Del. 19, Voss. *Κέρνος* habet, quae tam exquisita forma est, vix ut li-

*) Vid. Diodorum Sic. V 6. cui concinit qui Sicanum Briarei sub Aetna cubantis (Callimachus Del. 143) filium appellat Demetrius Calactinus (ita enim legendum pro *Καλλατιανός*) apud schol. Theocriti Id. I 68, et Ioannes Malalas p. 114, 21. Bonn. cui Sicanus Cyclopum pater est. Thucydidis (VI 2) temporibus Sicani occidentales Siciliae partes tenebant.

brariorum oscitantiae deberi videatur. *Κερνεᾶτις νῆσος* commemoratur Lycophroni Alex. 1084

οἱ δ' αὖ Πελασγῶν ἀμφὶ Μέμβλητος ῥοάς
νῆσόν τε Κερνεᾶτιν ἐκπεπλευκότες
ὑπὲρ πόρον Τυρσηνὸν ἐν Λαμητίαις
δίναισιν οἰκήσουσι Λευκανῶν πλάκας.

quibus in verbis quin Corsica designetur dubitari non potest. Trisyllabae formae *Κερνέα*, a qua *Κερνεᾶτις* formatum est, vestigia supersunt etiam in glossa Hesychii *Κυρνιᾶται· ἐπεὶ Κύρνον ᾤκησαν Τυρρηνοί*, i. e. Tyrrheni appellantur *Κυρνιᾶται*, quoniam Cyrnum incoluerunt. ita enim recte haec emendavit Micali, contra quem incaute disputat Müllerus Etrusc. vol. I p. 182. praeterea malim *Κυρνεᾶται.*

60. 61.

ἢ χαλκὸν ζείοντα καμινόθεν ἠὲ σίδηρον
ἀμβολάδις τετύποντες ἐπὶ μέγα μοχθήσειαν.

Pro *ἐπὶ μέγα* Ruhnkenio Epist crit. II p. 143 ex suo codice scribendum videtur *ἀτειρέα*, quod non dixit utrum ad *σίδηρον* an ad *μοχθήσειαν* referre voluerit. Ruhnkenii codex est recentissimus, videturque illud *ἀτειρέα* nil nisi correctio esse grammatici, qui cum *ἐπεὶ μέγα* scriptum repperisset, id emendare vellet. Sed *ἐπὶ μέγα* non recte coniungi cum *μοχθεῖν* docuisse mihi videor in Fleckeisenii Annal. philol. et paed. vol. 81 p. 43. Itaque correxi *ἐπὶ μέγα μυχθίσσειαν*, ut redeat poeta ad superiora *αὐτῶν τε βαρὺν στόνον*, cui iam optime respondet verbum *μυχθίζειν*, quod aptissime dicitur de Cyclopibus, qui clauso ore spiritum per nares ducunt anhelantes operique ingemiscentes. Cf. Aeschylus Prom. 768. Egregie autem confirma-

tur haec emendatio scriptura cod. Par. in quo *μοχθίσσειαν* scriptum est.

66.

ἀλλ' ὅτε κουράων τις ἀπειθέα μητέρι τεύχοι.

Egregie de tota hac scena disputavit M. Hauptius loco in annotatione indicato, qui et Mercurium rectissime hic commemorari docuit contra incredibiles criticorum hariolationes, et pro *ἀπειθέα*, quod item varie ineptissimis coniecturis vexatum est, *ἀπεχθέα* scribendum esse satis probabiliter coniecit. pro hoc *ἐπαχθέα* maluit nuper G. Pohlius Collat. cod. Par. p. 12, cui nullam causam esse video cur *ἀπεχθέα* posthabeam. nec *ἀπηνέα*, quod indicante Pohlio H. Jacoby coniecit, hic ferri potest; recte dicitur *ἀπηνὴς θυμός*, *ἀπηνὴς ἄνθρωπος* et quae sunt similia, non item *ἀπηνέα πράττειν*, ut nec latine dicas *immitia facere.* Itaque teneo, dum melius aliquid repertum fuerit *ἀπεχθέα*. Non inepte tamen aliquis *ἀπήθεα* coniciat, id ut idem sit quod *ἀποθύμια*, *ingrata matri.* *ἦθος* de animo dixit Callimachus Del. 297. nec *ἀεικέα* displiceret. Pro *τεύχοι*, quod male reliqui, ex Par. reponendum *τεύχει*.

76.

στήθεος ἐκ μεγάλου λασίης ἐδράξαο χαίτης,
ὤλοψας δὲ βίηφι.

Haec recte dicta essent, si *δράξασθαι* idem esset quod *τῖλαι*, *evellere.* at cum hoc verbum nihil aliud significet quam *apprendere*, non intelligo quo pacto id cum *στήθεος ἐκ μεγάλου* coire possit, *apprehendit ex pectore crines.* Fortasse scripsit poeta *στήθεος εὖ μεγάλου*, cuius exemplum habes apud Leonidam Anthol. Pal. VII 506. *τοῖόν μοι ἐπ' ἄγριον εὖ μέγα κῆτος*

ἦλθεν, quod in cod. εὐμέγα scriptum est. cf. Lobeckii Paral. p. 221*). Ad ὤλοψας respexit Schol. Vict. ad Iliad. ρ', 102. ὀλοφυδνὸν ἔπος: ὁ μετὰ τιλμοῦ τῶν τριχῶν οἶκτος 'ὤλοψας δὲ αἴηφι'. ubi iam vides βίηφι scribendum esse.

121. 122.

τὸ τρίτον αὖτ' ἐπὶ θῆρα· τὸ τέτρατον οὐκέτ' ἐπὶ δρῦν,
ἀλλά μιν εἰς ἀδίκων ἔβαλες πόλιν.

In his μιν ad τόξον referendum est, memorabili exemplo nominis τόξον de sagitta dicti. at nihil dubitationis relinquit alterum exemplum apud Callimachum h. in Del. 95. ταχινός σε κιχήσομαι αἵματι λούσων τόξον ἐμόν. Neglexerunt haec Thesauri Parisiensis editores. Ac fortasse iam Euripides hoc sibi concessit, cuius hoc est fragmentum apud Stobaeum Flor. XLIII 25:

*ὅστις κατ' ἰσχὺν πρῶτος ὢν ᾐτάζετο**)*
ἢ τόξα πάλλων ἢ μάχῃ δορὸς σθένων,
τοῦτον τυραννεῖν τῶν κακιόνων ἐχρῆν.

ubi cum πάλλων τόξα perinepte dictum sit, scribendum videtur aut τόξ' ἰάλλων, aut quod Wyttenbachius coniecit τόξα βάλλων. Sed cave ad eundem hunc dicendi usum Simonidis locum revoces in Anthol. Pal. VI 2 τόξα τάδε πτολέμοιο πεπαυμένα δακρυόεντος — Περσῶν ἱππομάχων αἵματι λουσάμενα. nulli in Graecorum exercitu contra Persas pugnarunt sagittarii; quare θῶπλα pro τόξα scribendum est. Sed redeo ad Callimachi locum, in quo nemo monitus dubitabit quin aliquid

*) Contractam scripturam εὔμεγας improbatam Lobeckio tuentur quodammodo similiter composita δυστάλας, αἰνοτάλας alia.

**) Ita enim corrigendum videtur quod vulgo sine sensu legitur πρῶτος ὠνομάζετο.

corruptum sit, ipsa rei natura docente, postquam primum ictum dea ulmo, secundum quercui, tertium ferae intulit, iam ad quartum transeuntem poetam non sic pergere potuisse *οὐκ ἔτ' ἐπὶ δρῦν ἔβαλε*, sed debuisse *non iterum feram percussit.* eam ob causam ego *οὐκ ἐπὶ θῆρα* vel, quod etiam magis Callimacheum est, *οὐκ ἔτι θῆρα* scribendum conieceram. Nunc nescio an Hauptio accedendum sit post *οὐκ ἔτ' ἐπὶ δρῦν* versum excidisse suspicanti, cuius haec sententia fuerit:

οὐκ ἔτ' ἐπὶ πτελέην ἧκας βέλος, οὐκ ἐπὶ θῆρα,

Quae plane Callimachea est dicendi ratio. ac similiter iam ante Hauptium Schneiderus Phil. Gott. VI p. 554 suppleverat *οὐδ' ἔτ' ἐπὶ πτελέην οὐδ' ἀγροτέρους ἐπὶ θῆρας.*

124.

σχέτλιοι, οἷς τύνη χαλεπὴν ἐμμάξεαι ὀργήν.

Vind. *ἐκμάξεαι*, unde haud inepte conicias *εἰσμάξεαι* scribendum esse, sive potius *ἐσμάξεαι.* Qui libros manuscriptos tractarunt, sciunt *εἰς* et *ἐκ* tam sibi similia esse vix ut internosci queant. In Dionysii Descr. Graec. 72 etiam nunc credo me recte emendasse *ἔπειτα Φωκεῖς εἰσι Λοκρῶν ἐχόμενοι*, pro eo quod cod. habet *ἐκ λογῶν φερόμενοι.* Eadem opera adhibenda Epicharmo *ἐν Ἡρακλεῖ τῷ ἐπὶ ζώνην* apud scholiastam Aristophanis Pac. 73. *πυγμαρίων* (Ven. *σπυγμαρίων*) *λοχαγὸς ἐκ τῶν κανθάρων | τῶν μειζόνων, οὕς φασι τὴν Αἴτνην ἔχειν.* non posse haec sic emendari ut voluit Ahrensius Dial. dor. p. 445 ostendi in Bergkii et Caesaris Ephem. Ant. scient. 1844. p. 12. verum fugit me tum totum locum ita scribendum esse:

ὁ Πυγμαρίων λοχαγός, εἷς τῶν κανθάρων
τῶν μεζόνων, οὕς φασι τὰν Αἴτναν τρέφειν.

Ducem exercitus esse dicit Pugniculum, unum de cantharis Aetnensibus. in quo inest vernilitas Epicharmo dignissima. de nomine *Πυγμαρίων* non erat cur dubitaret Dübnerus; v. infra ad Callimachi Epigr. LIX 2.

126—128.

κείρονται δὲ γέροντες ἐφ᾽ υἱάσιν· αἱ δὲ γυναῖκες
ἢ βληταὶ θνήσκουσι λεχωίδες, ἠὲ φυγοῦσαι
τίκτουσιν· τῶν δ᾽ οὐδὲν ἐπὶ σφυρὸν ὀρθὸν ἀνέστη.

Priora fortasse Herodoto debet Callimachus, suavissime pacem esse dicentis quando filii patres, bellum quando patres filios sepeliant I 87. et alibi etiam apud Callimachum Herodoteae imitationis vestigia apparent. Vs. 27 *βληταὶ γυναῖκες* commode ad Dianae tela referri potest, quibus illa puerperas interficiebat, quemadmodum h. in Cer. 102 dictum est *βλητὸν ὑπ᾽ Ἀπόλλωνος*. differunt haec tamen eo, quod altero loco disertim Apollinis nomen adiectum est, ut quo *βλητός* spectet nulla esse possit dubitatio. Fortasse igitur hic etiam aliquid vitii latet, scripsitque poeta *ἢ ᾽μβλωταὶ θνήσκουσι*, ut abortus facere dicantur mulieres, quibus iam melius iunguntur sequentia, ut haec sit sententiarum oppositio, aut abortum faciunt et in puerperio moriuntur, aut si forte effugerint abortum et mortem, debile et infirmum genus edunt. cf. Dionysius Archaeol. I 23 *ἢ γὰρ ἐξημβλοῦτο τὰ ἔμβρυα, ἢ κατὰ τοὺς τόκους διεφθείρετο, ἔστιν ἃ καὶ τὰς φερούσας συνδιαλυμηνάμενα. εἰ δέ τι διαφύγοι — ἔμπηρον ἢ ἀτελὲς — τρέφεσθαι χρηστὸν οὐκ ἦν.* neque enim probandus videtur Ernestus, *φυγοῦσαι in fuga* interpretatus, quod *φεύγουσαι* potius dicendum fuisset. ad *τῶν* cave subaudias *τέκνα*: frequentissimum enim est graecis scriptoribus, ut de prole genere neutro loquantur. cf. h. in Dian. 29

ὅτε μοι τοιαῦτα θέαιναι τίκτοιεν. Theocritus XVIII 21 *ἦ μέγα κά τι τέκοιτ' εἰ ματέρι τίκτοι ὅμοιον.* similis usus neutrius generis est in verbis *πολυχρόνιόν τι φέρωσιν* 132 de senibus dictum.

130—132.

κείνοις εὖ μὲν ἄρουρα φέρει στάχυν, εὖ δὲ γενέθλη
τετραπόδων, εὖ δ' ὄλβος ἀέξεται, οὐδ' ἐπὶ σῆμα
ἔρχονται πλὴν εὖτε πολυχρόνιόν τι φέρωσιν.

Gravem corruptelae suspicionem in his versibus moverunt mihi verba *εὖ δ' ὄλβος ἀέξεται*, quae non modo ad sententiam supervacanea sunt (nihil enim differunt ab iis quae proxime antecedunt de largo agrorum et gregum proventu) sed etiam concinnitatem sententiarum tollunt. Dixerat poeta in superioribus, quibus dea irascatur, iis neque greges neque segetem succedere, senes sepelire filios et mulieres in puerperio obire aut invalidum genus procreare. His omnibus ex adverso ponit ea quae iis obtingunt, quibus dea propitia est, felicem messem, gregum *εὐθηνίαν*, longam vitam; apertum est nihil respondere iis quae supra de generis interitu dicta sunt. Hoc ipsum vero noli dubitare quin in verbis *εὖ δ' ὄλβος ἀέξεται* absconditum lateat, quae si leni mutatione ita scripseris

εὖ δ' οἶκος ἀέξεται,

nihil ad perfectam et absolutam sententiarum oppositionem desiderabis. recte autem *οἶκον ἀέξεσθαι* dici de domo liberis aucta, si tamen in hac re testimonio opus est, ostendit quod in contrariam partem dicit Hesiodus *Ἔργ.* 244 *οὐδὲ γυναῖκες τίκτουσιν, μινύθουσι δὲ οἶκοι* et 325 *ῥεῖα δέ μιν μαυροῦσι θεοί, μινύθουσι δὲ οἶκον.* ita enim nuper Bergkius hunc versum correxit pro vulgato *οἶκοι.* Praeterea attendas velim ad

aequabilem et quasi antistrophicam, quae admissa illa emendatione emergit, sententiarum conformationem, quam hoc schemate declarabo:

(1 — greges pestilentia absumit
(2 — segetes sternit grando
(3 — filii moriuntur ante patres
(4 — puerperae aut nihil aut invalidam prolem generant
(2 — agri uberes fructus ferunt
(1 — greges foetus efferunt
(4 — domus nova prole augetur
(3 — patres moriuntur ante filios

Vides poetam in altera ambarum enuntiationum ordinem sententiarum ita immutasse, ut impares numeri pares sequantur, cum in prima pares numeri imparibus subiecti sint, quod ipsum quoque artificiosissimae compositionis indicium est.

Quae statim sequuntur verba *οὐδ' ἐπὶ σῆμα ἔρχονται*, cum vulgo viri docti de iis interpretentur qui mortuos sepeliunt, negavit hoc recte fieri Huschkius Analectis crit. in Anthol. graec. p. 128, qui comparato Propertii loco Eleg. II 13, 39:

Tu quoque si quando venies ad fata, memento
hoc iter: *ad lapides cana veni memores*,

Callimachi locum ita interpretatur, ut *ἐπὶ σῆμα ἔρχεσθαι* de mortuis dicatur, non videns huic prorsus adversari quae statim adiciuntur *πλὴν εὖτε πολυχρόνιόν τι φέρωσιν*. Huschkio tamen assentitur Schneiderus Philol. Gott. VI p. 540, sed ut ea quae adversari dixi verba, ita corrigat *πλὴν εὖτε πολυχρόνιόν τι πέρωσιν*, ut *πολυχρόνιον* ad *σῆμα* referatur et de sepulcro post longum tempus eveniente intelligatur. Hoc quidem sine magna duritie fieri non potest. quare si vera est Huschkii interpretatio,

aliter haec emendanda sunt, neque displiceret si quis *πολυχρόνιοι φθαρθῶσιν* poetam scripsisse coniceret, vel Schneideri coniectura, qua verbum *περᾶν* loco intulit, ita uteretur, ut scribendum suspicaretur

πλὴν εὖτε πολυχρόνιοι περόωσιν.

Non credo tamen aliquid mutandum esse in Callimachi loco, neque iustam esse causam video, cur *ἐπὶ σῆμα ἔρχεσθαι* propter Propertium non recte dictum esse existimetur de iis qui mortuos efferunt.

150—152.

ταῦρον ὅτ' ἐκ δίφροιο μάλα μέγαν ἢ ὅγε χλούνην
κάπρον ὀπισθιδίοιο φέροι ποδὸς ἀσπαίροντα.
κερδαλέῳ μύθῳ σε, θεά, μάλα τῷδε πινύσκει.

Quod in adnotatione ad Iov. 92 et Dian. 46. 50 observatum est, Callimachum adamare orationem abruptam et coagmentatione carentem, non cadit in hunc locum intolerabili laborantem asyndeto. itaque Ernesti emendationem recepi, qui deleta distinctione post *ἀσπαίροντα* pro *φέροι* scripsit *φέρων*. parum tamen probabilis est haec emendandi ratio. quo accedit quod ne sic quidem in sequentibus sua orationi stat ratio, cum vs. 157 poeta subito ad praeterita tempora delabatur, *ὣς ἔνεπεν, ταχινὸς δὲ μέγαν περὶ θῆρα πονεῖτο,* quibus cum nulla probabilitatis specie praesentia substitueris. eam ob causam suspicor post 151 duos versus excidisse et 152 *πίνυσκεν* scribendum esse pro *πινύσκει*, ut haec evadat sententia: *cum autem aliquando maioribus feris mixtas minores*, capreas puta et lepores, *redux e silvis afferres, Hercules astuto sermone te monebat.* apertum est iam recte sequi 157 *ὣς ἔνεπεν κτἑ.* pro *φέροι* autem, si hanc rationem sequamur, *φέρει* scribendum est.

157.

καὶ βόες ἀνθρώποισι κακὸν μέγα. βάλλ' ἐπὶ καὶ τούς. Non praefracte negarim ita scribere potuisse poetam; non tamen de nihilo est quod monuit Boissonadus *βόες* absque epitheto non recte dici de bubus silvestribus, sed male conicit *καὶ θῶες θνητοῖσι κακὸν μέγα.* quis enim unquam audivit thoes in feris numerari, quarum carnibus quantumvis voraces vescantur? edulia autem animalia eaque magna hic nominanda esse et scholiastes intellexit et Hauptius Ind. lectt. Univ. Berol. 1858 p. 5. Certum igitur est de silvestribus bubus loqui poetam. sed, ut dixi, vehementer dubitandum est, num hi simpliciter *βόες* appellari potuerint. quam ob rem vide an leni mutatione suam poetae manum restituerim:

καὶ βόες ἄγριοί εἰσι κακὸν μέγα. βάλλ' ἐπὶ καὶ τούς.

Hac emendatione simul ieiunum illud *ἀνθρώποισι* amovetur, cuius loco potius *ἀγρονόμοις* vel *ἀγρώσταις* vel simile quid expectes.

159.

οὐ γὰρ ὅγε Φρυγίῃ περ ὑπὸ δρυὶ γυῖα θεωθείς.

Ineptum est dici Herculem *sub arbore* concrematum et divinitatis participem factum esse. eam ob causam Ruhnkenii emendationem recepi, nisi quod is, ut iam dixi, praeter necessitatem et vero praeter rei veritatem *Φρυγίης περ ἐπ' ὀφρύσι* scripserat. neque enim plures in Oeta erant summitates quae *Φρυγίαι* dicerentur, sed una *Φρυγία.* Dubitare tamen nunc coepi annon corruptela loci minore mutatione tolli possit. vix enim litera mutata scribendum arbitror:

οὐ γὰρ ὅγε Φρυγίῃ περ ἀπὸ δρυὶ γυῖα θεωθείς.

in quibus *Φρυγίαν δρῦν* interpretor de rogo ex quercu Phrygia structo. de Herculis rogo in summo Oetae cacumine post Munkerum ad Hyginum Fab. XXXVI p. 82 diligenter egit Hemsterhusius ad Luciani Tim. 6 p. 112. cuius collectaneis adde qui singularia quaedam aliisque non memorata tradidit Arrianum physicum in Append. Florent. Stobaei Flor. 1, 3, 9 (vol. IV p. 155 Teubn.) *ἀλλὰ τῆς Οἴτης γε ἐπὶ τῇ ἀκρωρείᾳ θύεσθαι ὅσα ἔτι λόγος* (leg. *ἐστὶ νόμος*) *καὶ Ἡρακλεῖ καὶ Φιλοκτήτῃ εἰς μνήμην τοῦ παλαιοῦ παθήματος, καὶ τὴν τέφραν ἐπὶ τῇ πυρκαϊᾷ ἐν χώρᾳ μένειν.* quae Arrianum e Dicaearchi opere *ὀρῶν ἀναμετρήσεις* inscripto derivasse suspicor. add. Eustathius ad Dionysii Per. 809 *Φρυγία καί τις τόπος περὶ τὴν Οἴτην.* Ceterum si verum est, quod tradunt, nomen loco *ἀπὸ τοῦ πεφρῦχθαι* inditum esse, apparet poetam in *Φρυγίῃ* non recte primam corripuisse.

166. 167.

ἐν καὶ χρυσείας ὑπολήνίδας ἐπλήσαντο
ὕδατος, ὄφρ' ἐλάφοισι ποτὸν θυμάρμενον εἴη.

Recte scholiasta *ὑπολήνίδας* interpretatur per *πυέλους, ποτίστρας.* non diversae igitur existimandae sunt a *ληνοῖς*, quod de aquariis praeter alios dixit Homerus Merc. 104. At quorsum *ὑπολήνίδας* spectare dicamus? in quo *ὑπό* quid significet prorsus non intelligitur. alius generis recteque dictum est *ὑπολήνιον*, quo vas significatur *torculari suppositum.* scripsi igitur:

ἐν καὶ χρυσείας ὑπὸ ληνίδας ἐπλήσαντο.

Atque ita haec scribuntur in ed. princ. et in ed. Ven. 1555. item in Vind. *ὑπὸ νηλίδας.* Facessat igitur e lexicis vox *ὑποληνίς*, quibus vicissim *ληνίς* eo quo dixi sensu reddendum est. denique verbo moneo *ὑπό* tmesi disiunctum esse ab *ἐπλήσαντο.*

189—194.

ἔξοχα δ' ἀλλάων Γορτυνίδα φίλαο νύμφην.

In superioribus poeta dixerat insularum omnium maxime Dolicham, urbium Pergam, montium Taygetum, portuum Aulidem Dianae placuisse. Itaque cum iam nymphas, quas sibi comites prae ceteris elegerit dea, recenseat, quis non intelligat, non sic ut versu supra adscripto factum est, poetae pergendum fuisse, sed in hunc modum: *ad nymphas autem quod attinet, maxime omnium Gortynida adamasti.* non igitur dubitandum est versum excidisse huius sententiae:

νυμφέων δ' αὖ πολλὰς ἑταρίσσαο, πότνια δαῖμον,

vel etiam sic:

νύμφας δ' ἡρῴσσας τε, θεά, ἑταρίσσαο πολλάς,

quibus nunc demum recte infertur *ἔξοχα δ' ἀλλάων Γορτυνίδα φίλαο νύμφην.* Lacunam etiam in sequentibus sibi animadvertisse videtur Schneiderus Phil. Gott. VI p. 542. cui fere assentior post 191 excidisse aliquid in hanc sententiam dictum statuenti:

ἄλλοτε μὲν λειμῶνα πολυτρόφον, ἀλλότε δ' αὖτε —

nisi quod pro *πολυτρόφον* magis placeret *πολύδροσον.* Fortasse tamen vitium loci, si tamen vitium subest, vs. 194 in nomine *κρημνούς* situm est, cui si vocabulum sufficere contigerit *vallem* significans, nihil ultra desiderandum erit. Denique in hac parte carminis suspectus mihi est vs. 191.

πτοιηθεὶς ὑπ' ἔρωτι κατέδραμεν οὔρεα Κρήτης.

ubi nescio an *διέδραμε* scribendum sit, siquidem *κατατρέχειν τόπον* ex communi dicendi usu significat aut decurrere de loco, aut locum incursionibus vastare, favetque coniecturae nostrae Homer. h. XIX 12 *διέδραμεν οὔρεα μακρά.* praeterea malim *οὔρια, fines Cretae pererravit.* causa in promptu est.

213.

ἀσύλωτοι δέ φιν ὦμοι
δεξιτεροὶ καὶ γυμνὸς ἀεὶ παρεφαίνετο μαζός.

Dixit de hoc loco, in quo ἀσύλωτοι gravem corruptelam suscepit, Toupius ad Suidam vol. I p. 282, cuius commentum quominus copiose refellam effecit diligens et accurata M. Hauptii disputatio Indici lectt. hib. Univ. Berol. 1858—59 praemissa. Ipse tandem in hanc concedit sententiam, ut Callimachum ἀσύζωστοι scripsisse existimet. Dubitari non potest, quin hoc ad sententiam sit aptissimum. sed desidero exemplum, quo ἀσύζωστος pro ἄζωστος, συζώννυμαι pro ζώννυμαι in tali loco qualis hic est recte dici intelligatur. latere aliquid videtur magis reconditum, quod eo ipso errori ansam dederit. id igitur quaerant doctiores. nec tamen celabo quid mihi ipsi in mentem venerit. Scribendum enim conieci aut ἀκώλυτοι aut ἀείλυτοι. humeros liberos et nullo vestium vinculo impeditos non male ἀκωλύτους dici facile quivis concedat. nec minus recte iidem ἀείλυτοι dicuntur i. e. sine tegumentis. εἴλυμα de quovis involucro vel tegumento dicitur. Anacreon Fragm. 21, 6 νεόπλυτον εἴλυμα. Homerus Od. ζ 178 δὸς δὲ ῥάκος ἀμφιβαλέσθαι, εἴ τι που εἴλυμα σπείρων ἔχες. de mitra pectorali idem dixit Hedylus Anthol. Pal. V 199. σάνδαλα καὶ μαλακαί, μαστῶν εἰλύματα, μίτραι. ita enim corrigendum est pro ἐκδύματα, ne quis forte lenius scilicet ἐνδύματα scribere in animum inducat. Nec multum differt ΑΕΙΛΥΤΟΙ ab ΑϹΥΛΩΤΟΙ. Causa corruptelae est similitudo literarum Ϲ et Ε, quae vix dici potest quam multis locis labem attulerit. Apud Dionysium Hal. AR. I 88, ut hoc exemplo utar, in verbis ὄρνιθας μὲν πρῶτον ἀετοὺς λαμβάνει, quae nemini editorum quod sciam

offensioni fuerunt, quamvis ineptissime dictum sit *ὄρνιθας ἀετοὺς λαμβάνειν*, si *ACTOYC* in codice scriptum fuisse sumas, habebis quod scripsit Dionysius *ACIOYC* h. e. *αἰσίους*. Eadem opera Theocriti locus sanandus est Idyll. XXVIII 58, ubi hodie ex Higthi emendatione editur:

λαϊνέας δέ
ἵπτατ᾽ ἀπὸ κρηπῖδος ἐς ὕδατα· τῷ δ᾽ ἐφ᾽ ὕπερθεν
ἅλατο καὶ τὤγαλμα, κακὸν δ᾽ ἔκτεινεν ἔφαβον.

Pro *ἵπτατ᾽* in codicibus *ἵστατ᾽* scriptum; ridicule vero aliquem in aquas desilientem *ἵπτασθαι* dici, quis non sentiat? scribendum erat:

ἵετ᾽ ἀπὸ κρηπῖδος ἐς ὕδατα.

nimirum hic quoque *C* ex *Є* natum, *ατ* autem ex sequentibus literis temere repetitum est.

240—243.

αὐταὶ δ᾽ Οὖπι ἄνασσα περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο,
πρῶτα μὲν ἐν σακέεσσιν ἐνόπλιον, αὖθι δὲ κύκλῳ
στησάμεναι χορὸν εὐρύν.

Non credo haec labis immunia esse, in quibus primum offensioni est quod ad *περὶ* non additus est accusativus obiecti, quo recte usus est poeta in versu consimili h. in Iov. 52.

οὖλα δὲ Κούρητες σὲ πέρι πρύλιν ὠρχήσαντο.

Tum vero ineptum est quod dicit pyrrhicham saltasse Amazones primum quidem armatas, postea vero, depositis scilicet armis, cyclio choro instituto. vides distinguj inter pyrrhicham armatam et non armatam. atqui pyrrhicha nunquam nisi ab armatis saltabatur. vereor igitur ne *πρύλιν* ex ipso illo in Iovem hymno huc illatum sit, poeta autem sublata post *ὠρχήσαντο* distinctione scripserit:

περὶ βρέτας ὠρχήσαντο
πρῶτα μὲν ἐν σακέεσιν ἐνόπλιον.

Saltabant igitur primum pyrrhicham (*ἐνόπλιον*), tum depositis armis choreas circa simulacrum deae ducebant. Ad *ἐνόπλιον* ex verbo assumendum esse *ὄρχησιν* non monerem, nisi editores Thesauri Stephan. vol. III p. 1129 B tacite *ἐνόπλιοι* scripsissent.

248. 249.

κεῖνο δέ τοι μετέπειτα περὶ βρέτας εὐρὺ θέμεθλον
δωμήθη· τοῦ δ' οὔτι θεώτερον ὄψεται ἠώς.

Valde mihi vitii suspectum est *θέμεθλον*, quod contra omnium ipsiusque Callimachi loquendi consuetudinem et adversante nominis etymo de aedificio dictum est; neque enim de fundamentis templi poetam loqui sequentia ostendunt *τοῦ δ' οὔτι θεώτερον ὄψεται ἠώς*. Certum igitur videtur *θέμεθλον* in alius nominis locum hic illatum esse. iam facillimum quidem fuerit corrigere *εὐρὺ ἕδεθλον*, eodem hiatus genere, quo usus est Empedocles apud Plutarchum Quaest. Conv. p. 663. *ὀξὺ δ' ἐπ' ὀξὺ ἔβη, δαλερὸν δαλεροῦ δ' ἐπόχευεν* *). at fortasse scripsit poeta:

κεῖνο δέ τοι μετέπειτα περὶ βρέτας εὐρὺ μέλαθρον.

μέλαθρον de templo ipse Callimachus Apoll. 2 dixit et Dian. 225 *πουλυμέλαθρον* deam appellans quae multis in templis colitur. Nisi forte nova atque aliunde non cognita, sed recte formata voce *δέμεθλον* usus est.

Quod de vi et potestate nominis *θέμεθλον* dixi, ei repu-

---

*) Adscripsi haec ut edita sunt ab Henrico Steinio Emped. fragm. p. 68. de ceteris nunc non disputo, pro *δαλερὸν δαλεροῦ* autem scribendum videtur *χαλερὸν χαλεροῦ* i. e. *χαλαρὸν χαλαροῦ*, ut *μιερός* dicitur et *μιαρός*, *φιερός* et *φιαρός*, ne plura huius generis commemorem.

gnare videri possit hoc Solonis apud Demosthenem de Falsa legat. p. 254, sive apud Bergkium P. L. p. 335: *οὐδὲ φυλάττονται σεμνὰ θέμεθλα δίκης*, praesertim si conferas *δίκης θρόνος* et similia. sed nihil impedit quo minus Solon *δίκης θέμεθλα* eodem sensu dixisse putetur, quo *τέθμια δίκης* dicuntur, *iuris fundamenta*. neque haec Pindari Pyth. IV 16 verba: *Διὸς ἐν Ἄμμωνος θεμέθλοις* de templo interpretanda sunt, ut fecit Hermannus Opusc. VII p. 139, sed de agris Libyae, recteque scholiasta: *τουτέστιν ἐν τῇ Λιβύῃ*. melius etiam dixisset *ἐν τοῖς Λιβύης δαπέδοις*. in Oraculis autem Sibyll. III 503 *ἐξ ἐδάφους φλέξας πόλιας καὶ πολλὰ θέμεθλα*, oppositio ostendit *θέμεθλα* de fundis praediisque intelligenda esse, adiuncta sane aedificiorum in praediis notione. denique in titulo ab Osanno Auct. Lex. graec. p. 74. edito *Ἀΐδης εὐρυθέμειλος* (*θέμειλον* enim, quod etiam in Callimachi loco duo codd. habent, non differt a *θέμεθλον*, de quo dixit Jacobsius ad Anthol. Pal. IX 619) non est qui ingentes aedes habitat, sed cuius late patet ditio.

AD HYMNUM IN DELUM

9—12.

Δήλῳ νυν οἴμης ἀποδάσσομαι, ὡς ἂν Ἀπόλλων
Κύνθιος αἰνήσῃ με φίλης ἀλέγοντα τιθήνης.

Intactum in his reliqui nomen *Κύνθιος*, quamvis aliud quid scripsisse poetam codd. ostendant, quorum Voss. *Καίριος*, Ven. *κάνθων*, Ambr. 1 et Par. *καυ* .. cum lacuna, Ambr. 2 *καύριος* exhibet. latere in his opinor *ΚΛΗΡΙΟΣ*, quod quam tenui discrimine a *ΚΑΙΡΙΟΣ* vel *ΚΑΥΡΙΟΣ* distinctum sit nemo non videt. Apollinem *Κλήριον* vel dorica forma *Κλάριον* commemorat Pausanias II 2, 8. neque non apta ad h. l. est huius dei memoria, a cuius favore felicem sortem et decus poeta expectat. Sequuntur haec:

κείνη γ' ἠνεμόεσσα καὶ ἄτροπος, οἷά θ' ἁλιπλὴξ
αἰθυίης καὶ μᾶλλον ἐπίδρομος ἠὲ καὶ ἵπποις.

Inexplicabile in his illud *ἄτροπος*, quod alii aratro non versam et incultam, alii nullis terrae motibus concussam explicuerunt, quorum neutrum cum probari posse intellexissent homines docti, Ruhnkenius Epist. cr. II p. 149 *ἄσπορος*, Blomfieldus *ἄτροφος*, denique Schneiderus Philol. Gott. VI p. 504 quod omnium minime placet *κατάτροπος* coniecerunt. *κατάτροπος* Hesychius, quem antestatur Schneiderus, per *κατάντης* interpretatur, i. e. *deorsum versus, pronus, praeceps, καταφερής*. quid

scripsisset Callimachus criticos docere potuit quem multis locis in hoc carmine ante oculos habuit, Homericus h. in Apoll. 55, ubi Delum compellat Latona:

οὐδ' εὔβων σέ γ' ἔσεσθαι ὀίομαι οὔτ' εὔμηλον,
οὐδὲ τρύγην οἴσεις, οὔτ' ἂρ φυτὰ μυρία φύσεις.

Ex his intelligitur Callimachum scripsisse quod edidi *ἠνεμόεσσα καὶ ἄτρυγος*. Causa corruptelae hic quoque fuit summa similitudo literarum *Γ* et *Γ*. quantillum enim differunt *ΑΤΡΥΓΟΣ* et *ΑΤΡΟΠΟΣ*? in sequente versu ambigo utrum *καί* traiectum esse dicam, quae M. Haupti Observ. crit. p. 63 sententia fuit, an locum pro vitiato habeam ita facile corrigendum *αἰθυίῃσί τε μᾶλλον*. alterutrum sane necessarium, sed prius sine exemplo est, certe apud Callimachum. cf. Naekius Opusc. I p. 60 sqq. Quod nunc legitur *καὶ μᾶλλον* librarii esse potest recordantis Homeri Od. IV 606 *αἰγίβοτος καὶ μᾶλλον ἐπήρατος ἱπποβότοιο.*

19—21.

ἡ δ' ὄπιθεν Φοίνισσα μετ' ἴχνια Κύρνος ὀπηδεῖ.

Poenitet non recepisse Voss. scripturam *Κέρνος*, de qua dictum est Diatr. ad h. in Dian. 58. In recensu insularum Oceanum et Tethyn visitantium nescio an post 20 unus alterque versus exciderit: valde enim probabile videri potest, poetam septem illas quae proprie *αἱ μεγάλαι* dicebantur, nominare voluisse insulas, Corsicam Sardiniam Siciliam Euboeam Lesbum Cretam Cyprum. v. quae de hac re ad Com. Graec. III p. 515 dicta sunt. Sequentes versus

Σαρδὼ θ' ἱμερόεσσα καὶ ἣν ἐπενήξατο Κύπρις
ἐξ ὕδατος τὰ πρῶτα,

nunquam mihi persuadere potui ut sanos et incorruptos esse ex-

istimarem. Qui enim adnatant ad insulam, non ideo etiam in eam escendere putandi sunt. itaque non ἐπενήξατο a poeta scriptum existimabam, sed ἐπεβήσατο, cui recte iam additur ἐξ ὕδατος, quod in edita scriptura fere ridiculum est. nunc praetulerim ἐπενάσσατο, i. e. ἐπῴκησεν. ac confirmare videtur hanc emendationem utriusque Ambr. scriptura ἐπενάξατο.

25.

τείχεα μὲν καὶ λᾶες ὑπὸ ῥιπῆς κε πέσοιεν.

Non recte, credo, Ernestus τείχη καὶ λᾶες per hendiadyn dictum statuit vertitque *muros lapideos*. λᾶς non tantum πέτρος est sed etiam πέτρα, unde facilis transitus est ad significationem *arcis*, quo sensu Callimachus, ut erat rariorum amator, haud dubie hic quoque λᾶας dixit. Admonent me haec glossae Hesychianae Λάσαν· τὴν Λάρισαν, arcem Argivorum, de qua dixi in Philol. Gott. XII p. 631. pro Λάσαν autem nescio an rectius scribatur Λᾶσαν i. e. Λᾶϝαν.

30—33.

ἢ ὡς τὰ πρώτιστα μέγας θεὸς οὔρεα θείνων
ἄορι τριγλώχινι, τό οἱ τελχῖνες ἔτευξαν,
νήσους εἰναλίας εἰργάζετο· νέρθε δὲ πάσας
ἐκ νεάτων ὤχλισσε καὶ εἰσεκύλισε θαλάσσῃ.

Haec qui paulo accuratius inspexerit mendosa esse haud diffitebitur. quo enim πάσας referendum esse dicamus? non sane ad νήσους. neque enim insulas percutere potuit Neptunus, quae ne extabant quidem, sed montes, ut ipse in superioribus dixerat poeta, tridente percusserat eosque in mare provolverat, ut insulae fierent. Quare probabile mihi visum est Callimachum scripsisse:

νέρθε δ' ἐλάσσας
ἐκ νεάτων ὤχλισσε καὶ εἰσεκύλισε θαλάσσῃ.

Ne quid tamen dissimulem, unam esse video rationem qua edita lectio a vitii suspicione liberari potest, estque ea haec, ut νῆσοι de promontoriis intelligantur, quae sane tralaticia est significatio. Hanc rationem qui sequi volent, εἰναλίας praedicati locum obtinere dicere debebunt, ut sensus sit, Neptunus, qui montes tridente concutere solet, effecit ut promontoria in mare devolverentur. Non credo tamen hanc veram esse interpretationem, in qua neque totam sententiae conformationem neque ambiguam nominis νῆσος significationem probo; nec πάσας bene dictum existimo, utpote exaggerationis vitio non liberandum.

41—43.

πολλάκις ἐκ Τροιζῆνος ἀπὸ Ξάνθοιο πολίχνης
ἐρχόμενοι Ἐφύρηνδε Σαρωνικοῦ ἔνδοθι κόλπου
ναῦται ἐπεσκέψαντο.

Scholiastae somnium de Xantho antiquo Troezenis rege (ἀπό τινος Ξάνθου βασιλεύσαντος Τροιζῆνος) postquam suo iure explosit Spanhemius, varias critici loci haud dubie corrupti emendandi rationes inierunt. ac Ruhnkenius Epist. crit. II. p. 151 veram sibi videbatur scripturam restituisse hac emendatione:

ἐκ Τροιζῆνος ἁλιξάντοιο πολίχνης.

Cui coniecturae ut aliquam veri speciem conciliaret, laudavit Strabonem VIII p. 373 Τροιζὴν δὲ ἱερά ἐστι Ποσειδῶνος, ἀφ' οὗ καὶ Ποσειδωνία ποτὲ ἐλέγετο· ὑπέρκειται δὲ τῆς θαλάττης εἰς πεντακοσίους σταδίους. Enimvero haec ipsa verba revocare debebant virum doctissimum a conatu suo. quis enim sanae mentis homo urbem quindecim stadiis a mari dissitam marinis undis allui dixerit? Aliam viam Schneiderus se-

cutus est in Philologo Gottingensi vol. I p. 272, qui *πολίχνην* non de Troezene ipsa, sed de portu Troezenis Celenderi intelligit, tales *πολίχνας* etiam aliis urbibus maioribus adiectas fuisse docens, velut Chio, Cydoniae, Syracusis, Troadi, Megaris, quibus addi possunt Antiochia, Colophon, aliae. quod autem haec Troezenis *πολίχνη* Xanthi oppidum appellatur a Callimacho, id inde repetit vir doctissimus, quod Xanthus teste Diodoro Sic. V 81 in Lycia *Argivis* Pelasgis imperavit. Erudita haec et acuta est coniectura, sed qua minime efficitur id quod efficiendum erat, Xanthum in illa Troezenia *πολίχνῃ* pro heroe cultum fuisse, ut Celenderis merito Xanthi oppidum vocari potuerit. Quae cum ita sint, aliam viam ineundam esse putavi scripsique:

πολλάκι σὲ Τροιζῆνος ἄπο ζαθέοιο πολίχνης.

Recte sanctam urbem dici Troezenem non potest melius intelligi quam ex Strabonis l. l. Neptuno sacratam (*Ποσειδῶνι ἱεράν*) fuisse dicentis, et e Pausania II 30 sacrorum templorumque Troezeniorum tantam copiam recensente, ut Troezenem prae aliis urbibus religionibus refertam fuisse intelligatur. et ne omnia quidem enumeravit Pausanias, ut qui Apollinem omiserit Pagasaeum, cuius apud Troezenios cultum testatur schol. Homeri Il. *ψ*, 346.

Quod autem *πολίχνην* Callimachus dixit Troezeniorum urbem, non vero *πόλιν*, ei rei non tantam vim tribuerim quam tribuit Schneiderus. appellativorum deminutiva potestas praesertim apud poetas haud raro obliteratur. neque Nicandrum Ther. 958 *Κλάρου νιφόεσσα πολίχνη* dicentem parvulam urbem significare voluisse crediderim.

Pro *ἐπεσκέψαντο* scribendum putavi *ἀπεσκέψαντο*, quae ita differunt ut illud sit accurate contemplari, *ἀποσκέψασθαι* autem ex longinquo conspicere, ut *ἀπαυγάσασθαι* dixit poeta

vs. 125 *ἀπαύγασαι οἷος ἔφεδρος — σκοπιὴν ἔχει*, et 181 *ἤδη παρὰ νηὸν ἀπαυγάζοιντο φάλαγγας.*

53. 54.

οὕνεκεν οὐκ ἔτ' ἄδηλος ἐπέπλεες, ἀλλ' ἐνὶ πόντου
κύμασιν Αἰγαίοιο ποδῶν ἐνεθήκαο ῥίζας.

Pro *ἐνεθήκαο* fortius verbum requiro e. c. *ἐνερείσαο*, quod in *ἐνεθήκαο* abiit eodem fere errore, quo in Fragm. CCXXIX *λῖρος ἐγώ, τί δέ σοι τόνδ' ἐπέθηκα φόβον* legitur pro *ἐπέσεισα**). neque *κύμασιν Αἰγαίοιο* recte dictum videtur; non in fluctibus enim Aegaei maris pedum plantas defixit, sed in fundo maris. Quare libenter amplecterer, si quis codex *πυθμέσιν* vel *ἕρμασιν* offerret, *in saxoso maris fundo* vel *in rupibus submarinis.* Lusum in *Δῆλος* et *ἄδηλος* ex Callimachi loco sumpsit scriptor Oraculorum Sibyll. IV 92 *Δῆλος δ' οὐκέτι δῆλος, ἄδηλα δὲ πάντα τὰ Δήλου* et VIII 165 *καὶ Δῆλος ἄδηλος.*

66. 67.

ἡ δ' ἐπὶ νησάων ἑτέρη σκοπὸς εὐρειάων
ἧστο κόρη Θαύμαντος ἐπαΐξασα Μίμαντι.

Non ferri mihi posse visum est *ἐπὶ* ante *νησάων*, quod sive ut Ernesto placuit cum *ἧστο* coniungas sive ad *σκοπός* referas ut *ἐπίσκοπος* tmesi diremtum statuas, utrumque iusto violentius feceris. quare posui *ἡ δέ τε νησάων.* De *νησάων* quod adnotat scholiasta *παραλόγως ἔχει τὴν διαίρεσιν, οὐ γὰρ ἀπὸ τῶν εἰς ᾱ ἐστιν*, aliud huius formae exemplum ex ipso ut videtur Callimacho enotavit Schol. Il. *τ*, 1 *καλοὶ νησάων ἀστέρες*, quae

---

*) Dixi de hoc fragmento in Bergkii Zeitschrift d. A. W. 1849. p. 416. *ἐπιθεῖναι φόβον* graece non magis dici potuit quam latine *imponere* timorem pro *incutere.*

de Cycladibus intelligenda videntur. Mimantem autem recte quidem Spanhemius intelligit montem in ora Ioniae notissimum, sed fallitur cum scholiasten ad Aristoph. Nub. 273 Mimantem in Thracicis montibus commemorantem erroris arguit. Plane hoc docet Etym. M. p. 588, 2 *Μίμας γὰρ ὄρος ἐν Θρᾴκῃ, ὡς παρ' Ἀπολλωνίῳ*

ἤδη δ' ὑψιτενής τε Μίμας ὑπελείπετ' ὀπίσσω
καὶ Πιμπληίδος ἄκρης (leg. *ἄκρις* vel *ἄκρη*),

ubi pro *Ἀπολλωνίῳ* vulgo legitur *Ἀμμωνίῳ*, quod correxi olim Curis crit. 1813 p. 49. Alius item Mimas commemoratur ab Hesychio *Μίμας· ὄρος Αἰτωλίας.* sed ibi sine controversia *Ἰωνίας* scribendum, ut voluit iam Palmerius. Thracicum Mimantem, a geographis nostris neglectum, in Pieriae ora situm fuisse ex allatis ab Etym. M. versibus Apollonii discimus, quos si quis ad primam Argonauticorum editionem referendos existimet, in qua poeta, quae nunc in libro primo inde a vs. 597 usque ad 600 leguntur, copiosius tractaverit, mihi quidem nihil haec opinio habere videtur, quod nimium a probabilitate abhorreat.

75—77.

φεῦγε καὶ Ἀονίη τὸν ἕνα δρόμον· αἳ δ' ἐφέποντο
Δίρκη τε Στροφίη τε, μελαμψήφιδος ἔχουσαι
Ἰσμηνοῦ χέρα πατρός.

Versu primo *τὸν ἕνα δρόμον* labis non immune esse primus, ni fallit sententia, intellexit Reiskius, *τὸν ἑκὰς δρόμον* coniciens. Reiskio oblocutus est Ruhnkenius Epist. crit. II p. 153, qui cum editae lectionis tuendae causa hoc Nonni exemplo utatur: *εἷς δρόμος ἀμφοτέραις*, satis ostendit se ne suspicatum quidem esse, quid moverit Reiskium ut locum corruptum esse existimaret. Nimirum *εἷς δρόμος* est *unus idemque cursus*, *ὁ εἷς δρό-*

μος *unus ille cursus*. Eandem ob causam in vitii suspicionem adduxi Theocriti XVIII 19 *Ζηνός τοι θυγάτηρ ὑπὸ τὰν μίαν ἤλυθε χλαῖναν.* ubi v. adnotationem meam. Praeterea ne dici quidem potest Aoniam eandem cum ceteris viam fugisse; apertum est Callimachum nihil aliud voluisse quam *Ἀονία ὁμοίως ἔφυγεν*. Ceterum non credo Reiskium verum repperisse, ut nec Blomfieldum *τὸν ἄνω δρόμον* coniectantem. Ipse olim conieci *τὸν ἑὸν δρόμον*, ut Bion XII 1 dixit *αὐτὰρ ἐγὼ βασεῦμαι ἐμὰν ὁδόν*. haec etsi satis probabilis videri potest emendatio, tamen nunc ideo reicio, quod *τὸν ἑὸν δρόμον ἰέναι* vereor ut aliud quid significare possit quam solitum suum cursum persequi. Itaque et hunc et Theocriteum locum*) acutioribus emendandum relinquo. Non felicius Ruhnkenius in secundo versu versatus est, qui etsi recte monuit, Strophiam a nemine in Boeotiae fontibus commemorari, non recte tamen *Δίρκη Γαργαφίη τε* coniecit. Callimachus scripsit haud dubie id quod edidi *Δίρκη τε Τροφίη τε*. Atque hoc verum esse planissime ostendit Nicander Ther. 887.

ἠὲ σίδας ψαμαθηίδας, ἅς τε Τρόφεια
Κῶπαί τε λιμναῖον ὑπεθρέψαντο παρ' ὕδωρ,
ἧπερ Σχοινῆός τε ῥόος Κνωποῖό τε βάλλει.

Itaque Nicandrum si sequimur, Trophia vici oppidive nomen fuit in vicinia Copaidis siti ubi Cnopus et Schoeneus in lacum effundebantur; ac Stephanus Byz. p. 632, 2 disertim dicit *Τράφεια· πόλις Βοιωτίας πολλὰ θρέμματα ἔχουσα.* at etiam fontis lacusve nomen fuisse e Strabone intelligitur IX p. 407 *τῶν δὲ περικειμένων λιμνῶν ἔστιν ἥ τε Τρεφία καὶ ἡ*

---

*) Utrumque defendere conatus est Schneiderus Philol. Gott. VI p. 544. In Theocriti loco vide an *τὰν μνίον*, *mollem stragulam*, scribendum sit.

Κηφισίς. qui dissensus ita facillime componitur, ut Trophiam oppidulum fuisse dicamus ad cognominem sive lacum sive fontem situm. Quod autem lacum appellat Strabo qui Callimacho fons amnisve est, nemo mirabitur, qui Boeoticas aquas modo ad lacus magnitudinem augeri, modo ad fontis amnisve parvitatem decrescere meminerit. Praeterea in Strabonis loco attendas velim ad scripturam *Τρεφία*, quod ne quis *Τροφία* corrigere instituat, tenendum est *Τρεφία* Boeoticam formam esse, comparandam illam cum *Τρεφώνιος* pro *Τροφώνιος*, *Ἐρχομενός* pro *Ὀρχομενός* aliisque similibus. quid quod eadem forma etiam Nicandro restituenda videtur, in cuius verbis cum *ἅς τε Τρόφεια* e scholiasta demum repositum sit, codices autem *ἅς τρέφεια* habeant, perquam probabile esse opinor Nicandrum *ἅς τε Τρέφεια* scripsisse, non *ἅς τε Τράφεια*, ut voluit Lobeckius Paralip. p. 164, cuius exemplum O. Schneiderus secutus est. Triplex igitur nominis forma fuit, *Τρόφεια*, pro qua versus causa Callimachus *Τροφίη* dixit, *Τρέφεια* sive *Τρεφία* forma Boeotica, denique *Τράφεια* qua usus est Stephanus. Callimachus autem fortasse ipse etiam *Τρεφίην* scripsit.

78—85.

Ἀσωπὸς βαρύγουνος, ἐπεὶ πεπάλακτο κεραυνῷ.
ἡ δ' ὑποδινηθεῖσα χοροῦ ἀπεπαύσατο νύμφη
αὐτόχθων μελίη, καὶ ὑπόχλοον ἔσχε παρειήν,
ἥλικος ἀσταίνουσα περὶ δρυός, ὡς ἴδε χαίτην
σειομένην Ἑλικῶνος· ἐμαὶ θεαὶ εἴπατε Μοῦσαι,
ἦ ῥ' ἐτεὸν ἐγένοντο τότε δρύες ἡνίκα νύμφαι;
νύμφαι μὲν χαίρουσιν ὅτε δρύας ὄμβρος ἀέξει,
νύμφαι δ' αὖ κλαίουσιν ὅτε δρυσὶν οὐκ ἔτι φύλλα.

Septem hi versus 79—85 quo spectent quove consilio a poeta

ceteris interpositi sint cum interpretes uno ore omnes se nescire fassi essent, Blomfieldus versibus illis intra notas parentheseos positis omnia liquida fieri sibi persuasit. 'Nempe' inquit 'cum Iupiter Asopum fulmine percuteret, quercus in Helicone commovit, ut Melie de arbore coaetanea pallidam habuerit genam'. Hac ratione difficultatis expediendae quam nihil proficiatur, optime intelligitur si seriem totius narrationis reputamus: longo post ceteros intervallo secutus est Asopus, quoniam fulmine tactus erat, Melie autem nympha dolebat coaevae arboris Heliconiae fatum. Quae inepta sunt et incongrua. equidem suspicor versus illos nescio quo casu aut ex alio Callimachi carmine*), aut ex hymno in Cererem huc illatos esse, in quo si eos a poeta post versum 40 positos fuisse sumimus, bene suum locum tuebuntur. huic coniecturae nihil obstat praeter dialectum et quam versu 82 poeta commemorat, arborem Heliconiam. de hac postea videbimus; ad dialectum autem quod attinet, facile concedes, postquam semel versus illi in ionicum hymnum translati erant, fieri non potuisse quin doricae formae a grammaticis in ionicas mutarentur. Itaque hymni in Cererem inde a vs. 38 hanc speciem fuisse suspicamur:

ἧς δέ τις αἴγειρος, μέγα δένδρεον, αἰθέρι κῦρον.
τῶ δ' ὕπο ταὶ νύμφαι ποτὶ τὤνδιον ἑψιόωντο.
ἃ πράτα πλαγεῖσα κακὸν μέλος ἴαχεν ἄλλαις.
[*ἃ δ' ὑποδινηθεῖσα χορῶ ἀπεπαύσατο νύμφα*
αὐτόχθων μελία, καὶ ὑπόχλοον ἔσχε παρειάν,

---

*) Asopi et Aeginae fabulam tractasse Callimachum constat e scholiasta Apollonii Argon. I 117 *Ἀσωπὸς ἐκεραυνώθη ὑπὸ Διός, διώκων αὐτὸν διὰ τὸ ἡρπακέναι τὴν θυγατέρα αὐτοῦ Αἴγιναν, ὡς Καλλίμαχός φησιν.* Nisi haec ad hunc ipsum locum spectant, ut iam Fragm. CCCLXXIII delendum sit.

ἅλικος ἀσταίνοισα περὶ δρυός, ὡς ἴδε χαίταν
σειομέναν Ἑλικῶνος· ἐμαὶ θεαὶ εἴπατε Μοῖσα,
ἦ ῥ᾽ ἐτεὸν ἐγένοντο τότε δρύες ἅνικα νύμφαι;
νύμφαι μὲν χαίρουσιν ὅτε δρύας ὄμβρος ἀέξει,
νύμφαι δ᾽ αὖ κλαίουσιν ὅτε δρυσὶν οὐκέτι φύλλα.]
ἤσθετο Δαμάτηρ ὅτι οἱ ξύλον ἱερὸν ἀλγεῖ.

Satis bene haec procedere ultro quivis largietur: percussa arbor ingemuit, eius dryas expalluit fatum coaevae arboris miserata. Iam etiam melius intelligitur *ὑποδινηθεῖσα*, i. e. quae sub arbore sua choreas duxerat. *δινεῖσθαι* de saltantibus dici constat ex Homeri Il. 18, 494. Nec magna opera removetur arbor Heliconia, cuius cum nullus locus sit in narratione de Erysichthone vel de Asopo, et cum *χαίτη Ἑλικῶνος* de una Heliconis arbore ineptissime dictum sit, ego cum primum de his versibus in Fleckeisenii Annal. Phil. et Paed. 1860 p. 54 disserebam, post *σειομένην* incidendum putabam et *Ἑλικῶνος Μοῦσαι* coniungebam. idem iam ante me suaserat Schneiderus Philol. Gott. VI p. 544. sed displicet nunc haec ratio, quia nullo unquam exemplo doceri poterit, *Ἑλικῶνος Μοῦσαι, Ζεὺς Ὀλύμπου, Μοῦσαι Πιερίης* et similia dicta esse pro *Μοῦσαι Ἑλικωνίδες, Μοῦσαι Πιερίδες, Ζεὺς Ὀλύμπιος*. Quare nunc multo mihi probabilius videtur scripsisse poetam *Ἑλικῶνες, ἐμαὶ θεαί, εἴπατε Μοῦσαι*, ut *Ἑλικῶνες* gentilicii vim habeat idemque sit quod *Ἑλικώνιαι*. Consimiliter qui Cydonem patriam habent *Κύδωνες* dicuntur et *Κυδώνιοι*, et *Βαβυλῶνες* pro *Βαβυλώνιοι* habes in Oraculis Sibyll. V 116 *καὶ Πέρσας ὀλέσει καὶ Ἴβηρας καὶ Βαβυλῶνας*, et XI 333 *Ἰνδοί τ᾽ Ἀρμένιοι τ᾽ Ἄραβες, Πέρσαι, Βαβυλῶνες*. Talia illorum oraculorum scriptores, ut iam supra ad h. in Iov. p. 123 monui, antiquioribus poetis accepta ferunt. *Ἑλικῶνες Μοῦσαι* autem dictum est ut *νύμφαι σωτῆ-*

ϱες et multa alia eius generis. cetera iam nihil difficultatis habent, nisi quod pro *σειομέναν*, si recte locum ad hymnum in Cererem rettuli, scribendum videtur *κειϱομέναν*, cui iam melius respondent verba *ὅτε δϱυσὶν οὐκέτι φύλλα*. Post 85 excidisse complures versus, quibus causa eorum, quae in proxime praecedentibus continentur, exposita fuerit, coniectura est Schneideri l. l. p. 546.

92. 93.

ϑηϱίον. αἰνογένειον ἀπὸ Πλειστοῖο καϑέϱπον
Παϱνησσὸν νιφόεντα πεϱιστέφει ἐννέα κύκλοις.

Haec cum locorum natura conciliari non possunt. Plistus enim per Crisaeum campum Delphis subiacentem fluebat. docet hoc planissime Pausanias X 8, 8 *τϱαπομένῳ δὲ εἰς ἀϱιστεϱὰν ἀπὸ τοῦ γυμνασίου τοῦ Δελφικοῦ καὶ ὑποκαταβάντι οὐ πλέον ἐμοὶ δοκεῖν ἢ τϱία στάδια ποταμός ἐστιν ὀνομαζόμενος Πλειστός*. cf. ibid. X 37, 7. et Strabo IX p. 418. Ex his intelligitur Pythonem, Parnasum montem cincturum, non potuisse a Plisto, ubi cubabat, ad Parnasum descendere. ac Callimachum locorum bene gnarum fuisse ipse docet h. in Apoll. 10:

Πυϑώ τοι κατιόντι συνήντετο δαιμόνιος ϑήϱ.

ubi vides Apollini a Delphis descendenti serpentem obviam fieri. Proinde reposui:

ϑηϱίον αἰνογένειον ἀπὸ Πλειστοῖο παϱέϱπον.

Potest quidem etiam *ποϑέϱπον* corrigi, sed praetuli *παϱέϱπον*, quoniam vocularum *παϱά* et *κατά* perpetua est in libris confusio. Ut in solo Callimacho subsistam, in Fragm. CCCCLIV scribendum:

ἐκ δ' ἄϱτους σιπύηϑεν ἅλις παϱέϑηκεν ἑλοῦσα.

ubi vulgo *κατέϑηκεν* legitur: at Hecale panes e panario deprom-

tos non deponebat, sed hospiti apponebat. contra Fragm. CLXXXI scribendum videtur:

καί ῥα κατὰ σκαιοῖο· βραχίονος ἔμπλεον ὄλπιν,

pro *παρά*. ampullam gestabat e laevo brachio suspensam, quo sensu *κατά* dici solet, non *παρά*. in h. in Cer. 46 *καταψήχουσα* posui, ubi item in codd. erratum est, et h. in Del. 44 cum vulgo *παρ' ὀξύν* legatur, ex Vind. scripsi *κατ' ὀξύν*. eandem medelam adhibui Epigrammati X 5 p. 117, ubi Pal. habet *κάθες*, unde edidi *πάρες*. denique Fragm. CV 3 recte scripserunt critici *ὧδε καθιδρύοντο θεούς*, cum vulgo legatur *ὧδε γὰρ καθιδρύοντο θεούς*, in quibus *γάρ*, i. e. *παρ*, dittographia est sequentis *καθ*.

125.

ἀλλά μοι Ἥρη
δαψιλὲς ἠπείλησεν, ἀπαύγασαι ὅσσος ἔφεδρος —

Nobilitatus hic locus est crisi Ruhnkenii, qui plaudentibus viris doctis *δασπλῆς* a Callimacho scriptum esse coniecit, cui quae opposuit Ernestus quamquam non eam vim habent, ut *δαψιλές* ab erroris suspicione liberent, id tamen recte monuit adverbium hic potius expectari, quo gravitas minarum exprimatur, quam attributum Iunonis. Hinc nata mihi suspicio est potuisse Callimachum scribere *ἀσκελὲς ἠπείλησεν* vel, si hic quoque aliquid ausum esse poetam credere licet, *δασκελὲς ἠπείλησεν, duriter, severe minitata est.* Alii fortasse probabiliora invenient.

127—129.

τί μήσομαι; ἢ ἀπολέσθαι.
ἡδύ τί τοι Πηνειόν; ἴτω πεπρωμένον ἦμαρ,
τλήσομαι εἵνεκα σεῖο —

Dubitat Hemsterhusius, utrum iungi debeant *ἴτω πεπρωμένον ἦμαρ*, an potius separanda *ἴτω. πεπρωμένον ἦμαρ τλήσομαι εἵνεκα σεῖο.* non iniuria haesit, sed altera ratio, ut mittam parum eleganter *πεπρωμένον ἦμαρ* ad sequentia trahi, nescio an etiam sequentibus verbis evertatur, *καὶ εἰ μέλλοιμι — αἰώνιος ἔρρειν*, quibus ipse ille fatalis dies indicatur, ut molesta oriatur tautologia. nec tamen ideo librorum scripturam labis immunen esse credo, sed vitium in praecedentibus quaerendum puto. optime et oratio et sententia haberet ita conformata: *τί μήσεαι; εἰ δ' ἀπολέσθαι ἡδύ τί τοι Πηνειόν, ἴτω πεπρωμένον ἦμαρ.* Similiter loquentem Tellurem inducit Ovidius Metam. II 279 *Si placet hoc meruique, quid o tua fulmina cessant summe deum? liceat periturae viribus ignis igne perire tuo, cladem que auctore levare.* In sequentibus recte me *αἰώνιος* coniecisse, etiam nunc existimo; nisi *αἰώνιον* pro adverbio esse dicas.

143—145.

εἰς ἑτέρην Βριαρῆος ἐπωμίδα κινυμένοιο
θερμάστραι τε βρέμουσιν ὑφ' Ἡφαίστοιο πυράγρης,
ἔργα θ' ὁμοῦ —

Magnae mihi semper offensioni fuerunt verba *ὑφ' Ἡφαίστοιο πυράγρης.* quid enim hoc tam magnum est et memorabile, quod camini sub forcipe Vulcani fremunt? hoc sane nullo non tempore fiebat, quotiescunque Vulcanus operi intentus in officina occupatus esset. hanc difficultatem leni correctione me sustulisse credo:

θερμάστραι τε βρέμουσι σὺν Ἡφαίστοιο πυράγρης.

Ita dicitur quod dicendum erat, fremunt camini una cum instrumentis operibusque Vulcani. Eodem versu codices fere, ut dixi, *θερμαυστραί* habent, correctum a Blomfieldo, nisi quod *θερ-*

μαστραί scripsit*). estque haec tanto certior coniectura, cum aperte ad hunc ipsum Callimachi locum referenda sit glossa Hesychii *Θερμάστραι· κάμινοι.* ita enim recte codex habet. cf. *Θερμάστρηθεν· ἐκ καμίνου.* quae glossa item ad poetam Alexandrinae aetatis referenda est. In eo autem falsus est Blomfieldus, quod *θερμαύστρα* ut anomalum reiecit. recte Schneiderus Phil. Gott. I p. 270 haec ita distinguere videtur, ut *θερμάστρα fornacem*, *θερμαύστρα* autem (ab *αὔω* = *ἅπτω*) *forcipem* significet**). At quod idem apud Callimachum unice *θερμαῦστραι* probat, camini autem mentionem prorsus ab h. l. alienam existimat, id eo minus probari potest, cum ne ipsum quidem fugerit, in ea quam ipse sequitur interpretatione non recte rem procedere, et *πυράγρης* mentionem in eodem versu cum *θερμαύστραις* ferri non posse. quam difficultatem evitaturus, reiecta quam alio tempore protulerat correctione, nunc Philol. VI p. 547 eo devenit, ut *ὑφ' Ἡφαίστοιο πυράγρης* a poeta scriptum arbitretur, et *θερμαύστρας* de dentibus forcipum interpretetur. At exilis ita imago emergit haec: Briareo in alterum latus se convertente *dentes in ima forcipum parte fremunt*,

---

*) De accentu horum nominum recte admonuit Schneiderus Phil. Gott. II p. 244. Compara *παλαίστρα, δελεάστρα, ἀλίστρα, περιζώστρα, ποτίστρα* alia, quibus adde *κοιλάστρα* ex Hesychio *Κηλάστραι: σκαφίδες, ἀγγεῖα ποιμενικά*, quod ex *κοιλάστραι* a *κοιλάζειν* corruptum est.

**) Schneiderus comparat *αὔστρα* et *πυραύστης*, quorum alterum, ut hoc in transcursu moneam, male legitur in noto Aeschyli versu Fragm. 280 N. *δέδοικα μῶρον κάρτα πυραύστου μόρον* haec sane usitata est et ab omnibus usurpata huius vocis forma, at Aeschylus *πυρκαύστου* scripserat. quicquid enim nominum cum *πῦρ* compositum est, constante et perpetua lege primam syllabam corripit, *πυράγρα, πυραίθω, πυράκανθα, πυρακτέω, πυραυγής* etc. quae omnia poetis in usu esse constat. nec repugnat huic legi *Πυραίχμης* apud Homerum Il. β 248, quod barbarum nomen est nec magis ex *πῦρ* et *αἰχμή* compositum quam e. c. *Τριταντaίχμης Πύρασος Πύραμος*.

prae magnifica illa et sublimi, *fremunt camini*, *fremunt forcipes*, ut mittam *ὑφ᾽ Ἡφαίστοιο πυράγρης* eo quo Schneiderus voluit sensu non bene dici.

147.

τῆμος ἔγεντ᾽ ἄραβος σάκεος τόσος εὐκύκλοιο.

Prorsus assentior viris doctis pessimum hunc versum esse affirmantibus, non assentior Callimacho eum abiudicantibus. Quam sententiam qui protulerunt Lennepius et Ruhnkenius, et recenti memoria Heckerus Callim. Comment. p. 127, non attenderunt ad versum 141, ubi deleto quem in *νοθείας* suspicionem vocant versu particulae *δέ* nullus iam locus est; neque vero deleri potest illo loco particula, ut cohaereant verba sic *τοῖος γὰρ ἀπ᾽ ἀσπίδος ἔβραχεν ἦχος, ὡς ὁπότ᾽ Αἰτναίου ὄρεος σείονται μυχά*, quo oratio efficeretur ab epico usu prorsus aliena. Has ob causas si quem alium hunc versum genuinum esse non dubito, praesertim cum facta duarum vocularum transpositione et leni mutatione adhibita ex pessimo versu fiat optimus. scribendum enim:

τόσσος ἔγεντ᾽ ἄραβος σάκεος τῆμος κυκλίοιο.

Qui aurem habent, facile sentient quam vim quater repetitum *ος* habeat ad exprimendum fragoris terrorem. *κύκλιος* de scuto dixit Archestratus Athenaei VII p. 320 B. *κυκλίᾳ ἴσον ἀσπίδι νῶτα φορεῦντα.* In librorum scriptura neque *τῆμος* nec *τόσσος* suo loco positum esse intellexit iam Ernestus, incaute ille quidem coniciens *τοῖος ἔγεντ᾽ ἄραβος σάκεος τότ᾽ ἐυκύκλοιο.* Optimum dixi versum qualem restitui, quamvis sciam numeros esse duriores et contra legem alias a Callimacho diligenter observatam. sed quis credat non deseruisse hanc legem poetam ubi numerorum durities sententiae profutura esset. quare repudiavi

etiam quod ad mutationem lenius et facilius erat *ἄραβος τη-μόσδε κύκλοιο.*

Video nunc haec tractasse etiam Schneiderum Philol. Gott. VI p. 548, qui servata librorum scriptura ante 147 unum versum excidisse arbitratur in hunc modum:

καὶ τρίποδες πίπτοντες ἐπ' ἀλλήλοις ἰαχεῦσι
[τηλόσ' ὑπὲρ γαῖαν παμβώτορα· τὼς ἄρα τῆλε]
τῆμος ἔγεντ' ἄραβος σάκεος τόσος εὐκύκλοιο.

Quae ratio ideo non recte procedere dicenda est, quod demonstrativum *τόσος* in tali sententiae conformatione post *τώς* nullo modo inferri potest; itaque certe *τορός* scribendum erat.

155.

οὐ λιπαρὸν νήεσσιν Ἐχινάδες ὅρμον ἔχουσαι.

Mirati sunt critici atque in his Arnaldus Animadv. p. 35 Echinadibus attribui *ὅρμον λιπαρόν*, quibus opponit Ruhnkenius Epist. crit. II p. 156 a poeta non tanquam a iurato teste veritatem exigendam esse. praestat hoc sine dubio Blomfieldi rationi, *οὐ λιπαρόν* i. e. *τραχύν* coniungendum esse dicentis, linguae lege pariter ac sententia negationem cum tota enunciatione coniungi postulante. aperte enim hoc dicere voluit poeta, Echinades quamvis faciles aditu navigantibus, Latonam tamen non recepisse. Constat has insulas Acheloi alluvione ortas esse, ex quo sequitur litus earum non asperum et saxosum fuisse, sed molle et depressum, ut fallantur qui nomen iis *διὰ τὸ τραχύ* inditum esse arbitrantur, in quo errore cum plerique etiam veterum scriptorum versentur, veram nominis rationem aperuit Buttmannus Lexil. II p. 64. Itaque vanae sunt virorum doctorum dubitationes, ut ne Ruhnkenii quidem excusatione poeta indigeat.

168.

ἀμφοτέρῃ μεσόγεια καὶ αἳ πελάγεσσι κάθηνται.

Noli cogitare de ellipsi nominis *νῆσοι*, ad *αἳ* ex *μεσόγεια* assumendum *γαῖ*. *μεσόγεια* autem paulo insolentius dictum est de *ἠπείρῳ*. Notum est in *μεσογείᾳ* sita dici a geographis etiam ea quae in ipso litore iacent; at *μεσόγειαν* insulis opponi novum est*). cf. Diatr. ad Dian. 36. Pro *κάθηνται* Vind. *κέκλινται*, quod erunt fortasse qui praeferant propter Homeri Od. IV 608 *οὐ γάρ τις νήσων ἱππήλατος οὐδ' εὐλείμων, αἵ θ' ἁλὶ κεκλίαται.* exquisitius tamen et Callimachi dictioni accommodatius videtur *κάθηνται*, in cuius verbi usu frustra Ernestus ad hebraismum provocat. in ipso graeco sermone multa *ἧσθαι* dicuntur quae nobis *κεῖνται*. velut ipse Callimachus Fr. CXXII dixit *καὶ γὰρ Ἀθηναίοις πάρ' ἐπὶ στέγος ἱερὸν ἧνται κάλπιδες.* Simillimum nostro loco est quod Aeschylus Pers. 857 item de insulis dixit *τᾷδε γᾷ προσήμεναι.* add. Apollonius Argon. IV 1707 *ἴκεο πέτρας ῥίμφα Μελαντίους (Μελαντείους) ἀριήκοοι αἶτ' ἐνὶ πόντῳ ἧνται.* Euripides apud Strabonem VIII p. 366 *πρόσω δὲ βάντι ποταμὸν ἡ γείτων Διὸς Ἦλις κάθηται.* Hegesippus Anth. Pal. VI 124 *ἀσπὶς Τιμάνορος ἧμαι.* Anyte VI 153 *κράνεια — ἀνὰ μαρμάρεον δόμον ἡμένα.* Sed *κέκλινται* in Callimachi loco legit fortasse Hesychius *Κέκλεινται· κεῖνται.* ubi corrige *Κέκλινται.*

---

*) Haec in memoriam mihi revocant versum Homerici h. in Apoll. 251 et 291. *ἠδ' ὅσοι Εὐρώπην τε καὶ ἀμφιρύτας κατὰ νήσους,* in quo etsi ingeniose Hermannus defenderit *Εὐρώπην*, non dubitandum tamen videtur quin verum viderit Reizius, qui Ilgenio teste *ἤπειρον* scribendum coniecit; postulat hoc, ut alia taceam, solennis et constans oppositio *νήσων καὶ ἠπείρου.* Memini praeclaram hanc emendationem nuper pro nova in lucem prolatam esse.

176—178.

τείρεσιν, ἡνίκα πλεῖστα κατ᾽ ἠέρα βουκολέονται,
φρούρια καὶ [κῶμαι Λοκρῶν καὶ Δελφίδες ἄκραι]
καὶ πεδία Κρισαῖα καὶ ἠπείροι[ο φάραγγες]

Locus depravatissimus, in quo restituendo critici frustra laborarunt. Verba uncis inclusa in nullo codice reperta sunt nisi in interpolatis; nec male rem gessit interpolator vs. 177, nisi quod *Λοκρίδες* potius quam *Λοκρῶν* scribere debebat. pessime autem 178 suppletum est *ἠπείροιο φάραγγες*, cuius loco alius maluit *ἠπείροιο πόληες*. melius posuissent *ἡ Πλειστοῖ[ο χαράδρῃ]*, quod praestare mihi videtur etiam Schneideri supplemento *καὶ ἤπειροι πολύκρημνοι* in Philol. Gott. VI p. 527. quem non credo vicisse recte hic commemorari *ἠπείρους*. dubitationem movet item *Κρισαῖα*, cum constanti usu *πεδίον Κρισαῖον* dicatur; quamquam in tali re poetae a recepto usu declinare licuit. praeterea corruptum est haud dubie vs. 177 *φρούρια*, quibus nullum hic locum esse posse intellexit Hermannus in Dissert. de Callimachi loco Lips. 1846 p. 6. cui *πλεῖστα κατήορα βουκολέονται φέγγεα* scribendum videbatur. mihi, nisi forte ut in Laconico agro (Pausan. III 12, 3) ita etiam in Delphico locus fuit *Φρούρια* dictus, mihi igitur *φρούρια* ex *μυρία* corruptum idque ad praecedentia trahendum videtur hoc modo:

τείρεσιν, ἡνίκα πλεῖστα κατ᾽ αἰθέρα βουκολέονται,
μυρία. καὶ —

μυρία subiunxit post *πλεῖστα*, ut Apollonius Argon. IV 1705 *ἀπερείσια* intulit post *πολλά*. porro *αἰθέρα* debetur Schneidero, qui postea tamen ad *ἠέρα* rediit Philol. VI p. 522. Haec nomina tam frequenti errore inter se permutantur, ut etiam in fragmento Berenicae p. 321. Blomf.

ἠδὲ Κόνων μ' ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τῆς Βερενίκης
βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς,

αἰθέρι reponendum credam. cf. quae dixi Philol. V p. 171 ubi apud Horatium Carm. I 28, 5 *aetherias domos* pro *aerias* scribendum esse ostendi.

Quod modo *Λοκρίδες* melius scripturum fuisse dixi qui vs. 177. supplevit, eius rei hanc habui causam, quod Callimachus constanti usu post debilem positionem dactylum posuit, non spondeum, ut frustra apud hunc poetam talem versum quaesiveris qualis est, ut hoc exemplo utar, hic in Homerico h. Merc. 127 *Ἑρμῆς χαρμόφρων εἰρύσσατο.* Rem esse ut dixi ostendent exempla. Iov. 12 *οὐδέ τί φιν κεχρημένον Εἰλειθυίης.* 57 *παιδνὸς ἐὼν ἐφράσσατο πάντα τέλεια.* Apoll. 47 *κικλήσκομεν ἐξέτι κείνου.* 58 *τὰ πρῶτα θεμείλια.* (cll. 64. Dian. 23. Del. 4. 22. 30. 149. 298) 71 *ἐμοὶ πατρώιον οὕτω.* Dian. 9 *ἐμοὶ Κύκλωπες ὀιστούς.* 67 *Κύκλωπας ἑῇ ἐπί.* 69 *σποδιῇ κεχριμένος αἰθῇ.* 76 *λασίης ἐδράξαο χαίτης.* 85 *τόδε κεν Κύκλωπες ἔδοιεν.* 95 *νεβρούς τε καὶ οὐ μύοντα.* 168 *ἐς πατρὸς δόμον ἔρχεαι.* 202 *δὴ τότε γὰρ πέπλοισιν ἐνέσχετο.* 219 *μέμφονται κάπροιο τὰ γάρ.* 244 *οὐ γάρ πω νέβρεια δι' ὀστέα.* Del. 35 *σὲ δ' οὐκ ἔθλιψεν ἀνάγκη.* 128 *ἴτω πεπρωμένον ἦμαρ.* 222 *Λητώ τοι μίτρην ἀναλύεται.* 269 *Δήλιος Ἀπόλλων κεκλήσεται.* Cer. 57 *κακὰν ἐγράψατο φωνάν.* 60 *ἡμιθνῆτες ἐπεί.* Pall. Lav. 91 *ὀλίγων ἐπράξαο πολλά.* 133 *πατρώια πάντα φέρεσθαι.* semel tantum in pentametri initio Lav. Pall. 42 reperio *ἐν πέτραις αἷς νῦν.* mitto epigrammata et fragmenta, in quibus eadem lex observata est. neque ratione carere hanc legem quaerentem non latebit. nimirum tarditatem numeri *τροχαιοειδοῦς* compensat sequentis dactyli volubilitas.

179—185.

ἴδωσι δὲ πίονα καπνόν
γείτονος αἰθομένοιο. καὶ οὐκ ἔτι μοῦνον ἀκουῇ,
ἀλλ' ἤδη παρὰ νηὸν ἀπαυγάζοιντο φάλαγγας.

De his versibus post Hermannum Dissert. de Callimachi loco p. 8 disputavit Schneiderus Phil. VI p. 548, de verbis *γείτονος αἰθομένοιο* contra Hermannum ita disserens, ut mihi quidem satis fecerit. recte idem post *αἰθομένοιο* distinxit, cum vulgo haec omnia cum sequentibus continuentur. sed maxima difficultas inest in optativo *ἀπαυγάζοιντο*, qui ut haberet unde regeretur, Hermannus *καὶ οὔ κ' ἔτι* scripsit. probavit hoc Schneiderus; at cum ne sic quidem oratio recte procedat et durissimum sit ad *ἀκουῇ* supplere verbum *πυνθάνοιντο*, versum excidisse statuit in hunc modum *καὶ οὔ κ' ἔτι μοῦνον ἀκουῇ* [*λαὸς ἐμὸς πεπύθοιτ' ὀλοὴν ὁδὸν ὁρμαίνοντας*], *ἀλλ' ἤδη κτἑ.* Non credo tanto molimine opus esse, sed scribendum puto *καὶ οὐκ ἔτι μοῦνον ἀκουή, ἀλλ' ἤδη παρὰ νηὸν ἀπαυγάζουσι φάλαγγας*, *non fama tantum et auditio est, sed suis ipsi oculis cernunt hostilem exercitum.* Quod *ἀπαυγάζουσι* scripsi pro *ἀπαυγάζοιντο*, iusto audacius factum videri potest; non raro tamen eiusmodi errores in libris reperiuntur. nisi forte doricam formam hic intulit poeta *ἀπαυγάζοντι*, de qua vide quae dixi in Diatr. ad vs. 248. activa forma *αὐγάζειν* usus est noster Fragm. CXXXII 2 *αὐγάζειν καθαραῖς οὐ δύναται λογάσιν.*

Quemadmodum totus hic de Gallorum expeditione locus magnas habet difficultates, ita etiam quae vs. 184 leguntur nondum perpurgata sunt. loquitur poeta de scutis Gallorum:

αἳ (*ἀσπίδες*) *Γαλάτῃσι κακὴν ὁδὸν ἄφρονι φύλῳ*
στήσονται. τέων αἳ μὲν ἐμοὶ γέρας, αἳ δ' ἐπὶ Νείλῳ —

Sensit Hermannus l. l. p. 9, recteque opinor sensit, parum elegantem esse hanc appositionem; quare corrigit *ἄφρονι τύφῳ*, cui nescio an praestet *ἀφροσιβούλοις*, sive malis *ἀφρασιβούλοις*, quocum comparandum illud Timoneum de Menedemo dictum *ἀφροσιβόμβαξ*. Prorsus autem intolerabile est *στήσονται*. quis enim unquam graece loquens dicere potuit *ὁδὸν στήσασθαι*, quod *sistere* potius *viam* significat quam *parare*? parum tamen probabilitatis habet quod Hermannus, sed dubitanter tamen, coniecit *θήσουσιν*, cui praetulerim *μήσονται*, quod etsi de clypeis satis audacter dictum est, iustam tamen excusationem habet in versu sequente, ubi item clypei *προσωποποιοῦνται*. *parandi* vim verbum *μήδεσθαι* habet etiam in Simonidis Fragm. 47 *μέλισσαν ξανθὸν μέλι μηδομέναν*. De Galatarum nomine, quod Pausanias *ὀψέ ποτε* Celtis inditum scribit, dixit Hermannus l. l.

210.

φοίνικος ποτὶ πρέμνον, ἀμηχανίης ὑπὸ λυγρῆς
τειρομένη. νότιος δὲ διὰ χροὸς ἔρρεεν ἱδρώς.

Haec in alio scriptore non recte dicta esse nemo suspicaretur. at Callimacheus dicendi usus requirere videtur ut scribatur *ἀμηχανίῃς ὑπὸ λυγρῇς τειρομένη*. Sic enim constanter ille in hoc dicendi genere praepositione *ὑπό* utitur, ut subiecta exempla docent. h. in Apoll. 49 *ὑπ' ἔρωτι κεκαυμένος*. h. in Dian. 21 *ὑπ' ὠδίνεσσι τειρομένη*. 191 *ὑπ' ἔρωτι πτοιηθείς*. h. in Del. 202 *ὑπ' ὠδίνεσσι βαρυνομένη*. 321 *ὑπὸ πληγῇσιν ἑλίξαι ῥησσομένους*. h. in Iov. 28 *ὑπ' ἀμηχανίῃ σχομένη*. Fragm. LI *δινομένην ὑπὸ βουσὶν ἐμὴν ἐφύλασσον ἅλωα*. eandem dicendi rationem obliteratam esse suspicor in Fragm. CLXVIII ex Etymol. M. p. 302, 14, quod nec Bentleii neque Heckeri Comm. Call. p. 98 emendationibus persanatum est; editur apud Ety-

mologum *Εἰνατίην ὁμόδελφον ἐπ' ὠδίνεσσιν ἰδοῦσα.* Scribendum videtur:

Εἰνατίη δ' ὁμόδελφον ὑπ' ὠδίνεσσιν ἰδοῦσα
*τειρομένην**).

Nimirum omisit grammaticus vocem *τειρομένην* ad consilium suum nihil facientem. consulto transmisi aliorum poetarum exempla quae sunt frequentissima, illud tantum demonstraturus nunquam aliter locutum esse Callimachum. ex prosae orationis scriptoribus qui praepositione *ὑπό* sic usus sit, unum memini Arrianum physicum, qua de re dixi Philol. Gott. XIV p. 38. Ceterum *ἀμηχανίης λυγρῆς* an *ἀμηχανίῃ λυγρῇ* scribatur perinde est. *ι* adscriptum frequentissime in *σ* abiisse nemo nescit. plurali *ἀμηχανίαι* usus est Theognis.

213.

αὔτη τοι φίλε νῆσος ἐπιπλώουσα θαλάσσῃ.

Vix credibile est his verbis dici posse id quod poeta dicere voluit; nam si in hunc sensum accipiuntur *haec tua est insula*, non id *αὔτη τοι* dici potuit, sin hoc voluit *haec tibi*, i. e. in tuam gratiam, *mari innatat*, ne hoc quidem bene elocutus est. quare versum excidisse suspicor, cuius hoc pono exemplum:

αὔτη τοι φίλε νῆσος ἐπιπλώουσα θαλάσσῃ
[*γεινομένῳ πέπρωται ὑποσχέμεν οὖδας ἀγητόν*].

217—221.

εἶπε δ' ἔτ' ἀσθμαίνουσα, φόβῳ δ' ἀνεμίσγετο μῦθος·
„Ἥρη τιμήεσσα πολὺ προὔχουσα θεάων,

*) Ilithyia (haec enim est *Εἰνατίη* sive ut in Creticis titulis est *Βινατία*) Iovis et Iunonis filia fuit, itaque soror (*ὁμόδελφος*) illa Ilithyiae, de cuius partu poeta dixerat, filia fuit Iunonis.

σὴ μὲν ἐγώ, σὰ δὲ πάντα· σὺ δὲ κρείουσα κάθησαι
γνησίη οὐλύμποιο, καὶ οὐ χέρα δείδιμεν ἄλλην
θηλυτέρην· σὺ δ' ἄνασσα τὸν αἴτιον εἴσεαι ὀργῆς.

Iniuria, ut mihi quidem videtur, Heckerus versui primo controversiam movit, cum metu coniunctam esse Iridis orationem negans eamque ob causam *χόλῳ* pro *φόβῳ* a poeta scriptum coniciens. atqui vel prima deae verba ostendunt, vereri se ne immemor fuisse videatur iussorum Iunonis, suaque culpa factum esse, ut in Delo insula Latona partum deposuerit. metuit igitur deae vindictam, quam deprecatura extollit Iunonis potentiam seque totam ei addictam esse affirmat. Versum postremum, quo emendationem suam confirmari existimat, Heckerus ita interpretatur *tu, o regina, eum qui irae meae causa est iam cognosces.* At si recte *φόβῳ* scriptum esse ostendi, in his potius verbis aliquid vitii inesse statuendum est; quare scribendum puto *τὸν ἄξιον εἴσεαι ὀργῆς*, *nosces eum qui tua ira et vindicta dignus est.* Praeterea vs. 220 corruptela haerere videtur in *γνησίη*, quod quo sensu h. l. dictum sit nondum vidi qui docuerit: sive enim cum *κρείουσα* coniungas, ut sit *legitima domina*, sive ad natales deae referatur, ut legitimo matrimonio eam natam esse indicetur, utrumque quo consilio hic dictum sit non intelligitur. quare corrigendum puto *σὺ δὲ κρείουσα κάθησαι, χρυσέη, οὐλύμποιο.* Blandientium hoc est, ut quos impense amant vel reverentur, *aureos* dicant, ut supra vs. 39 de Latona dictum est *χρυσέη δ' ἐπεμίσγετο Λητώ.* cf. Aristophanes Ran. 483 *ὦ χρυσοῖ θεοί.*

236.

τυτθὸν ἀποκλίνασα καρήατα λέχριος εὗδει.

Non memini unquam me *καρήατα* numero plurali de unius ca-

pite dictum legere, neque in aliis linguis id factum esse ullo modo probari potest. quare vitium subesse puto scribendumque conicio *κάρη κατὰ λέχριος εὗδει*, tmesi Callimacho satis familiari. Erunt fortasse qui pluralem tueantur Homerico *μειδιόων βλοσυροῖσι προσώπασι*, quod deinceps multi imitati sunt. cf. Anal. Alex. p. 155. interest tamen aliquid inter *καρήατα* et *πρόσωπα*, quorum altero oris partes eae significantur quae oculis contiguae sunt, ut *μέτωπα* dicuntur eae quae super oculos sunt. non recte igitur haec cum *καρήατα* comparaveris, ut vix dubitem de veritate emendationis propositae.

239.

ἡ δ' ἀλεγεινὸν ἀλαστήσασα προσηύδα.

Ferri non potest h. l. verbum *προσαυδᾶν*, cui apertum est nullum locum esse nisi praesentes adsint quos quis alloquitur. praeterea accusativus pronominis desideratur. Dixi de hoc loco in Fleckeisenii Annal. philol. et paed. 1860. p. 54, ubi certa emendatione reposui *ἀλαστήσασ' ἔπος ηὔδα,* nescius tum eandem emendationem fecisse Schneiderum Philol. VI p. 501, opportune Aristarcheae crisios admonentem in Iliad. XV 114 factitatae. consimile vitium tollendum ex Apollonio Argon. III 100.

ὣς φάτο· μείδησαν δὲ θεαὶ καὶ ἐσέδρακον ἄντην
ἀλλήλαις, ἡ δ' αὖτις ἀκηχεμένη προσέειπεν.

Ubi quamvis praesentes adsint quas alloquitur Venus, tamen hic quoque *προσειπεῖν* omisso accusativo obiecti salva oratione dici non potuit. pulchre hoc sensit Brunckius, sed non recte *μετέειπεν* coniecit, cuius mutationis causam se intelligere negat Wellauerus. scribendum omnino *ἡ δ' αὖτις ἀκηχεμένη ἔπος εἶπεν.* denique eadem emendatio adhibenda Homerico h. Apoll.

61 *ἀμειβομένη δὲ προσηύδα.* apertum est etiam hic scribendum esse *ἀμειβομένη δ' ἔπος ηὔδα.*

248.

δέμνιον οὐκ ἐπάτησε, Διὸς δ' ἀνθείλετο πόντον.

Aegre me continui quin reciperem formam in Vind. et Par. servatam *ἀνθέλλετο*, nimis illam exquisitam quam quae ab imperito librario profecta videri possit; quippe aeolicum est illud *ἀνθέλλετο*, pro *ἀνθείλετο* dictum ut *μέλλιχος* pro *μείλιχος*, *χέλλος*, *χέλλων*, *ἐλλαπίνα* alia apud Ahrensium Dial. aeol. p. 58, quibus fortasse *ἔλλα* i. e. *εἵλη* addendum, de quo dixi ad Lav. Pall. 33. At aliena est ab huius carminis dialecto forma aeolica. sane aliena est; sed Callimachus ut orationi poeticum colorem conciliaret, non anxie ubique dialecti constantiam servavit, sed ut ipsi commodum videbatur, etiam epicum sermonem rarioribus et ab ionica oratione alienis formis tanquam gemmulis, ut ipsi videbatur, distinxit. eiusdem generis est quod vs. 255 e Vind. restitui *ὄρνιχες*, quod quis credat scribarum errori deberi? Elegiaca Callimachi carmina ionica dialecto composita fuisse constat, et tamen in his non dubitavit *ἔλλατε* dicere i. e. forma mere aeolica uti, quod simillimum est ei de quo cum maxime agimus *ἀνθέλλετο*. v. Schneidewinum ad Simonidis fragm. p. 104 et Heckerum Comment. Callim. p. 53. nec omittendum aeolicum vocabulum *τᾶλις* Fragm. CCX. eodem pertinet *Τιλφωσαία* pro *Τιλφουσαία* vel *Τιλφουσία* in loco apud Tzetzen ad Lycoph. 1226 *τὴν μὲν ὅ γ' ἐσπέρμηνεν Ἐρινύι Τιλφωσαίῃ*, in quo imitatorem nactus est Apollonium Arg. II 505 *Μυρτώσιον αἶπος* dicentem pro *Μυρτούσιον*. nec Bentleius Fragm. p. 517 Ern. laudandus est in illo versu *Τιλφουσσαίῃ* restituens. *Μαλλόες χορός* item in elegiaco carmine pro *Μηλόεις* dixit in

loco apud Bergkium Anth. lyr. p. 126. Huic affine est et iam a Buttmanno Lexil. I p. 43 comparatum βιοπλανές pro βιοπλανεῖς in fragmento apud Bekkerum Anecd. p. 1253. Doricam crasin κἠμοί e librorum vestigiis restitui Dian. 81. de τὠπόλλωνος dixi ad Apoll. 1. eademque crasis frequens est in epigrammatis. τίν Dian. 90 in omnibus libris est. κοῦρα casu vocativo ultima correpta est Dian. 72, de quo schol. Vict. ad Il. III 130 τὸ νύμφα ἰωνικόν, ὡς τὸ τόλμα τῆθα κοῦρα, diversa ille quidem componens. sed pro ἰωνικόν scribendum videtur αἰολικόν cll. Choerobosco Bekkeri p. 1200. ὅτις aeolicum attigi in Diatr. ad Epigr. XXVIII 2, et in fragmento quod p. 152 tractavi χήρ fort. servandum. In tanta formarum non ionicarum multitudine non nimiae audaciae est quod Del. 181 ἀπαυγάζοντι restituendum esse conieci. Denique his addo Iov. 18:

Λάδων ἀλλ' οὔπω μέγας ἔρρεεν οὐδ' Ἐρύμανθος
λευκότατος ποταμῶν.

in quo etsi per se nihil vituperandum est, facile tamen qui Callimachum bene noverit mihi assentietur, pro μέγας Ladonis epitheton requirenti pellucidae Erymanthi aquae oppositum. Eam ob causam μέλας scribendum suspicor, cuius ultimam syllabam a Doriensibus corripi docent quae composui exempla ad Theocriti Id. II 4 cll. Ahrensio Dial. graec. vol. II p. 173.

249—251.

ἡ μὲν ἔφη· κύκνοι δὲ θεοῦ μέλποντες ἀοιδοί
Μῄόνιον Πακτωλὸν ἐκυκλώσαντο λιπόντες
ἑβδομάκις περὶ Δῆλον, ἐπήεισαν δὲ λοχείῃ.

Inficete cygnos dici θεοῦ μέλποντες ἀοιδοί animadvertit Ruhnkenius Epist. crit. II p. 160, cuius duplex est de his verbis coniectura, sed quarum neutra magnam mihi commendationem habere

videtur; existimat enim Ruhnkenius poetam aut *θεὸν μέλποντες ἀοιδαῖς* scripsisse, aut *θεοῦ μέλποντες ὀπηδοί*. Harum prima cum aliorum assensum tulit tum Naekii Opusc. II p. 10, nisi quod is Blomfieldo praeeunte *ἀοιδῇ* scribi maluit. Mirum vero viros sagacissimos non offendisse in eo, quod cygni iam id facere dicuntur, quod postea demum facturi sunt. nam cum Apollo nondum editus sit in lucem, quo tandem pacto cygni deum canere dici possunt? Itaque melius fecisset Ruhnkenius si *μέλψοντες* scripsisset. at ne hoc quidem probari possit; neque enim Apollinis celebrandi causa cygni advolaverunt, sed ut cantu suo Latonam oblectarent partumque quasi elicerent. ipse id satis clare indicavit Callimachus vs. 251. Atque ita intellexit cygnorum cantum etiam Philostratus V. Apoll. I 4 *αὐτὴ δὲ* (*ἡ μήτηρ τοῦ Ἀπολλωνίου*) *ἐς ὕπνον ἀπήχθη* (leg. *ἀπηνέχθη*) *κλιθεῖσα ἐν τῇ πόᾳ. κύκνοι τοίνυν οὓς ὁ λειμὼν ἔβοσκε χορὸν ἐστήσαντο περὶ αὐτὴν καθεύδουσαν, καὶ τὰς πτέρυγας, ὥσπερ εἰώθασιν, ἄραντες ἀθρόως ἤχησαν — ἡ δὲ ἐξέθορέ τε ὑπὸ τῆς ᾠδῆς καὶ ἀπέτεκεν.* Vides iam eodem incommodo premi etiam alteram Ruhnkenii coniecturam, quamquam *θεοῦ ὀπηδοί* ad sententiam sine dubio recte excogitatum est. Callimachus autem scripserat:

*ἡ μὲν ἔφη· κύκνοι δὲ θεοῦ μέλλοντες ἄοζοι.**)

Ac ne quid dubitationis relinquatur de emendationis veritate, ad hunc ipsum Callimachi locum referenda est glossa Hesychii: *Ἄο-*

---

*) *ἄοζοι* Callimacho restituendum esse iam olim monui Exercit. phil. in Athen. II p. 13. *μέλλοντες* autem pro *μέλποντες* scribendum esse docui in Fleckeisenii Annal. phil. et paed. 1860 p. 55, nescius tum idem placuisse iam ante me Schneidero Phil. Gott. VI p. 506 male tamen, ut mihi videtur, *ἀοιδοί* defendenti. mihi contra *θεοῦ ἀοιδοί* perinepte dictum videtur, quasi ut theatri conductor histrionum, ita Apollo cantorum gregem aleret symphonias musicas exhibentium.

ζοι· μάγειροι, ὑπηρέται, θεράποντες, ἀκόλουθοι. Καλλίμαχος. cf. Athenaeus VI p. 267. Indicatur hoc nomine cuiusvis generis minister, unde non mirum est Hesychium id etiam de *μαγείρῳ* i. e. sacrarum epularum ministro interpretari, qua significatione posuisse videtur *ἄοζος* Aeschylus Agam. 239. Cygnos autem Apollinis ministros perhiberi notissimum est et disertim testatur iam a Ruhnkenio allatus Aelianus HA. II 32 *κύκνος ὅνπερ οὖν καὶ θεράποντα Ἀπόλλωνι ἔδοσαν ποιηταί.* cuius ministerii exemplum habes apud Alcaeum Himerii Orat. XIV 10 ubi Iuppiter Apollinem *δοὺς αὐτῷ ἅρμα ἐλαύνειν, κύκνοι δὲ ἦσαν (ἦγον?) τὸ ἅρμα, εἰς Δελφοὺς πέμπει.*

266—268.

ὦ μεγάλη πολύβωμε πολύπτολι πολλὰ φέρουσα,
πίονες ἤπειροί τε καὶ αἳ περιναίετε νῆσοι,
αὐτὰρ ἐγὼ τοιῇδε δυσήροτος.

Ante Stephanum legebatur *ὦ μεγάλ' ὦ πολύβωμε*, atque ita codd. habere videntur omnes praeter Par. Ven. Vind. qui Stephani scripturam repraesentant. Telluris nomen omitti non posse intellexit Ernestus, qui *Γῆ μεγάλη* coniecit, quae certe non facilis est emendandi ratio. quare nescio an scribendum sit *ὦ γαῖ' ὦ πολύβωμε.* Erroris origo explicatu facilis est; nimirum *γαῖ' ὦ* in *γαλω* abierat, quod emendaturus librarius pro captu suo mutavit in *μεγάλ' ὦ.* consimili scribarum stupore in h. in Iov. 79 *γένος* in *Διός* depravatum vidimus. nec dispari errore in Epigrammate XXVIII 2 *πολλούς* ex *λαούς* natum est.

In sequente versu non indigna est memoratu orationis conformatio ea, qua poeta pro simplici *καὶ αἱ περιναίουσαι νῆσοι* vel *καὶ αἳ περιναίουσι νῆσοι*, versus necessitate cogente apostropha utitur *καὶ αἳ περιναίετε νῆσοι, feraces*

sunt continentes vosque quae adiacetis insulae. non alias id factum memini in nomine appellativo. Tertio versu, cum libri *αὐτή* habeant, mirum est editores Ernestianum *αὕτη* sequi maluisse quam Stanleii emendationem *αὐτάρ*, quam oppositionis ratio flagitat; ceterae terrae insulaeque feraces sunt, ego vero talis, qualem videtis, inculta et sterilis.

275—277.

τῷ καὶ νησάων ἁγιωτάτη ἐξέτι κείνου
κλήζῃ Ἀπόλλωνος κουροτρόφος· οὐδέ σ' Ἐνυώ,
οὐδ' Ἀΐδης, οὐδ' ἵπποι ἐπιστείβουσιν Ἄρηος.

Temerarius fortasse videbor, meticulosis quidem, si his aliquid vitii inesse me suspicari professus fuero; et tamen prorsus incredibile est, scripsisse poetam id quod hodie legitur. Qui enim fieri potuit ut cum Delon sanctissimam esse insulam atque *ab omni contagio tutam* demonstrare vellet, recte quidem neque bella geri neque mori quemquam in ea diceret, at prius illud de bello bis diversis locis inculcaret, omitteret autem quod vel maxime commemorandum erat, non licuisse mulieribus in Delo parere? Notissimus eam in rem locus est Thucydidis III 104 disertim quod dixi attestantis: *θῆκαι ὅσαι ἦσαν τῶν τεθνεώτων ἐν Δήλῳ πάσας ἀνεῖλον, καὶ τὸ λοιπὸν προεῖπον μήτε ἐναποθνήσκειν ἐν τῇ νήσῳ μήτε ἐντίκτειν, ἀλλ' ἐς τὴν Ῥήνειαν διακομίζεσθαι.* Puerperium enim cum contagio coniunctum veteres credidisse praeter alios ostendit Euripides Iphig. Taur. 380

τὰ τῆς θεοῦ δὲ μέμφομαι σοφίσματα,
ἥτις βροτῶν μὲν ἤν τις ἅψηται φόνου
ἢ καὶ λοχείας ἢ νεκροῦ θίγῃ χεροῖν,
βωμῶν ἀπείργει μυσαρὸν ὡς ἡγουμένη.

Cui iungendus Theophrastus Char. XVI in superstitionis exemplis ponens *οὔτ' ἐπὶ νεκρὸν ἐλθεῖν οὔτ' ἐπὶ λεχώ.* ubi vide Casaubonum. Itaque non dubitandum videtur quin Callimachus scripserit id quod edidi:

οὐδέ σ' Ἐλευθώ,
οὐδ' Ἀίδης, οὐδ' ἵπποι ἐπιστείβουσιν Ἄρηος.

Ubi habes iam pariter ut in Euripidis loco *puerperium*, *mortem*, *caedem*. Estque haec tanto certior emendatio, cum Callimacho ipsum illum Thucydidis locum obversatum esse sequentia ostendant *χορούς τε ἀνῆγον αἱ πόλεις*, comparanda illa cum Callimacheis 279 *πᾶσαι δὲ χοροὺς ἀνάγουσι πόληες*, etiam a Dionysio Perieg. 527 imitatione expressis. Formam *Ἐλευθώ* poeta sumpsit opinor ex Pindaro, e Callimacho adsciverunt Paulus Silentiarius et Antipater Thessalonicensis. Etiam Hesychius, apud quem frequentes sunt Callimacheae, rarissimae Pindaricae glossae, in glossa *Ἐλευθώ· ἀνέρχομαι. Εἰλείθυια*, ad Callimachum videtur respexisse. Tertiam huius nominis formam servavit Artemidorus Onir. II, 35 *ἡ λεγομένη παρὰ Λυκίοις Ἐλεύθουσα**), quod novum est nec in Thesauro adnotatum reperio.

Ceterum, quod sero video, praecepit hanc emendationem loci Callimachei Schneiderus Phil. Gott. VI p. 505. itaque delere ea quae supra scripsi poteram; non feci tamen, quoniam argumentationi Schneiderianae aliquid novi addunt nec prorsus sine fructu legi posse mihi videbantur. ac ne quid desideretur, ipsa Schneideri verba afferam: 'Certissima coniectura restituo *οὐδέ σ' Ἐλευθώ*, fretus Thucydidis verbis l. l. *τὸ λοιπὸν — δια-*

---

*) Paronymica forma esse videtur; ut *Συράκουσα* a *Συρακώ*, ita *Ἐλεύθουσα* ab *Ἐλευθώ*. ne quis de participio cogitet.

κομίζεσθαι (nam *Ἐλευθώ* non diversa est ab *Εἰλείθυια.* cf. Naeke de Hecal. p. 189). quis enim ferat Enyo ita, ut in vulgata lectione factum, a Marte disiunctam?'

280.

αἵ τε πρὸς ἠοίην αἵ θ' ἕσπερον αἵ τ' ἀνὰ μέσσην.

Non sine arte poeta trium substantivorum primo et tertio praepositionem addidit, secundo autem in medio posito non addidit. Similis concinnitas h. in Cer. 28

ἐν πίτυς, ἐν μεγάλαι πτελέαι ἔσαν, ἐν δὲ καὶ ὄχναι,
ἐν δὲ καλὰ γλυκύμαλα.

de quo dixi in Diatriba ad h. l. Iuvat haec aliis quibusdam exemplis illustrare. in hoc ipso hymno 280—284 leguntur quinque versus, in quibus adiectivum *χρύσεος* et substantivum *χρυσός* ita alternant, ut strophica quasi cum proodo, aut si mavis cum mesodo responsio evadat:

χρύσεα · χρυσῷ · χρύσειον · χρυσῷ · χρύσειον

Ecquis haec casui potius quam consilio tribuat? non magis profecto quam vs. 183 sqq.

τίς δέ νύ τοι νήσων, ποῖον δ' ὄρος εὔαδε πλεῖστον;
τίς δὲ λιμήν, ποίη δὲ πόλις; τίνα δ' ἔξοχα νυμφέων
φίλαο, καὶ ποίας ἡρωίδας ἔσχες ἑταίρας;

ubi certa lege alternant *τίς* et *ποῖος.* nec dispar artificium cernere mihi videor in duobus locis hymni in Dianam. Horum primus hic est 113—118

113 *ποῦ δέ σε τὸ πρῶτον κερόεις ὄχος ἤρξατ' ἀείρειν;*
114 *Αἵμῳ ἐπὶ Θρήικι, τόθεν βορέαο καταῖξ*
115 *ἔρχεται ἀχλαίνοισι δυσαέα κρυμὸν ἄγουσα.*
116 *ποῦ δ' ἔταμες πεύκην, ἀπὸ δὲ φλογὸς ἥψαο ποίης;*

117 *Μυσῷ ἐν Οὐλύμπῳ, φάεος δ' ἐνέηκας ἀυτμὴν*
118 *ἀσβέστου, τό ῥα πατρὸς ἀποστάζουσι κεραυνοί.*

Haec neminem latebit singulari arte composita esse. Versui 113 oppositus est 116, versibus 114 et 115 respondent 117 et 118, ut hoc schema habeas:

113. 114—115. 116. 117—118.

Neque diversa ratio est versuum 259—268, quorum primo et postremo, quibus deam compellat poeta *πότνια Μουνυχίη λιμενόσκοπε χαῖρε Φεραίη* et *χαῖρε μέγα κρείουσα καὶ εὖ ἄντησον ἀοιδῇ*, interiecta sunt quatuor versuum paria, quorum singulis exemplum impietatis erga deam continetur, ut hoc schema evadat:

259. 260 261. 262 263. 264 265. 266 267. 268.

Neque omittendum singula quae dixi exempla eandem orationis speciem ita referre, ut quae post admonitiones *μή τιν' ἀτιμάζειν, μὴ ἐριδαίνειν, μηδέ τινα μνᾶσθαι, μηδὲ χορὸν φεύγειν* sequuntur cuiusque admonitionis causae omnes ordiantur a verbis *οὐδὲ γάρ.*

Cognata huic argumento alia lex est item in Callimacheae artis exemplis ponenda, qua eadem notio in eodem versu aut eadem forma ter redditur ut Lav. Pallad. 139

σύν τ' εὐαγορίᾳ σύν τ' εὔγμασι σύν τ' ὀλολυγᾷ,

aut ter eadem forma leviter immutata ut in Del. 31

ὅσσον Ἐλευσῖνι, Τριόπᾳ θ' ὅσον, ὁκκόσον Ἔννᾳ,

ubi tametsi per metrum licuisset, non tamen scripturum fuisse poetam credo *ὅσσον Ἐλευσῖνι, Τριόπᾳ θ' ὅσσον, ὁκκόσον Ἔννᾳ.* quare meo iure in corruptelae suspicionem vocavi hoc in Del. 194:

ἔνθα νότος, ἔνθ' εὖρος, ὅπῃ φορέῃσι θάλασσα.

Quod non existimo esse Callimacheae elegantiae, qui scripsit opinor:

ἧχι νότος, ἔνθ' εὖρος, ὅπῃ φορέῃσι θάλασσα.

ἔνθα ex *ἧχι* corruptum video apud scholiastam Pindari Pyth. IX 45 in Callimachi loco ex Apoll. 90. Plane autem confirmat quod dixi acerrimus Callimachi etiam in his rebus imitator Dionysius Per. 416:

ἔνθα Μέλας, ὅθι Κρᾶθις, ἵνα ῥέει ὑγρὸς Ἰάων.

et 645:

οἱ μὲν πρὸς βορέην, οἱ δ' ἐς νότον, οἱ δ' ἐπὶ ῥιπήν.

et qui item Callimacheum dicendi genus expressit Nonnus Dion. V 224

δῶκε βόας, πόρεν αἶγας, ὀρίτροφον ὤπασε ποίμνην.

283—285.

οἱ μέν τοι καλάμην τε καὶ ἱερὰ δράγματα πρῶτοι
ἀσταχύων φορέουσιν, ἃ Δωδώνηθι Πελασγοί
τηλόθεν ἐκβαίνοντα πολὺ πρώτιστα δέχονται.

Pro *φορέουσι* ad rem accommodatius scripsisset quod scholiasta in suo libro habuisse videtur *πέμπουσιν*. neque enim ipsi ferunt Apollini Delio frugum primitias Hyperborei, sed primi mittunt eas, ut proximi quique populi quasi per manus illas accipiant: res nota ex Herodoto, Pausania aliisque. Recte *φορέουσιν* haberet, si *τοί* non dativus esset, sed particula, ut hic evaderet sensus: *Hyperborei primi sacra ferunt Pelasgis Dodonaeis*, ut hi deinceps ea aliis tradant. at vide quae de *τοί* particula Callimacho non usitata dixi in Diatribe p. 143. Ceterum de Hyperboreorum sacris Delum missis intelligo etiam alium Callimachi locum ex incerto carmine servatum:

Ῥιπαῖον πέμπουσιν ἀπ᾽ οὔρεος, ἧχι μάλιστα
Φοῖβος ὑπερβορέοισιν ὄνων ἐπιτέλλεται ἱροῖς.

Ita enim haec ad unum fragmentum coniungenda videntur, quae diversis locis leguntur apud schol. Apollonii Arg. IV 284 et Clement. Alex. Protr. p. 8. vid. Fragm. CLXXXVII et CCXV*). Quod eodem versu vulgo legitur *Δωδώνηθε*, dubitari non poterat quin *Δωδώνηθι* scribendum esset. Ferri illud quidem potest per linguae usum; quis enim nescit recte dici *οὐκ Πελασγῶν Ἀκρίσιος* Epigr. XXXIX 1. *αἱ ἐκ Βοιωτῶν γυναῖκες* apud Aristophanem Lys. 40. *pastor ab Amphryso* apud Virgilium Georg. III 2. aliaque eiusdem generis apud alios. at hoc loco vel propter *τηλόθεν* in eadem orationis parte positum certissimum est scripsisse poetam *Δωδώνηθι*. Eodem vitio in Callimachi Fragm. CIII 4 editur *ζήλῳ τῶν Νεμέηθε***), et contrario errore in Nicandri fragmento apud schol. Ther. 460:

τῷ μὲν ὑπὸ Ζωναῖον ὄρος δρύες ἀμφί τε φηγοί
ῥιζόθι δινήθησαν ἀνέστησαν τε χορείας.

ubi corrige *ῥιζόθε*. In sequente versu in adnotatione critica *εἰσβαίνοντα* conieci; sed recte habet edita lectio, nec utitur Callimachus hac praepositionis forma nisi ante vocalem. *τηλόθεν ἐκβ.* dictum est ut *ἐκ σιπύηθεν* Fragm. CCCCLIV. *Ἀργόθεν ἐκβάντα* apud Sophoclem, ne alia aliorum commemorem.

---

*) Aliter de his statuit Heckerus Comm. Callim. p. 143 qui cum primo versu coniunxit Fragm. CLXXXVIII *τέρπουσιν λιπαραὶ Φοῖβον ὀνοσφαγίαι.* Quam ego institui rationem, eam potissimum ob causam praefero, quoniam ita facilius scholiastae ad Apollonii locum error explicari potest, Rhipaeos montes *ἐν ταῖς ἀνατολαῖς* esse hallucinantis, neque assentior viris doctis *ἐπιτέρπεται* pro *ἐπιτέλλεται* scribentibus. cf. Naekii Opusc. II p. 47.

**) Stephanum Byz. p. 472, 10 *Νεμέηθεν* sine auctoris nomine afferentem male olim Callimachi locum in animo habuisse opinatus sum.

287.

δεύτερον ἱερὸν ἄστυ καὶ οὔρεα Μηλίδος αἴης.

Quaenam sit illa quae per excellentiam sacra civitas appellari potuerit, nemo adhuc docuit. Ferendum esset, si urbem Melum fuisse constaret, quod nescio quo auctore statuit Berglerus ad Alciphr. III 16. Nunc verendum est ne mendum traxerint verba, quod ita tolli posse opinatus sum:

δεύτερον Ἱρέων ἄστυ καὶ οὔρεα Μηλίδος αἴης.

Nimirum Meliensium civitas tribus gentibus habitabatur, quarum nomina servavit Thucydides III 92 *Παράλιοι Ἱερῆς Τραχίνιοι.* sacra illa post Dodonam primum Hierensium fines intrabant, inde contiguis Trachiniis tradebantur, quos poeta verbis *οὔρεα Μηλίδος αἴης* designat. Paraliorum fines illa non attingebant, ut qui septentrionem versus Trachiniis incolerent, eamque ob causam nullam eorum poeta mentionem iniecit.

298. 299.

παρθενικαί, παῖδες δὲ θέρος τὸ πρῶτον ἰούλων
ἄρσενες ἠιθέοισιν ἀπαρχόμενοι φορέουσιν.

Nescio qua mea incuria factum sit, ut *πάρθενικαί* in textu relinquerem, spreta iam a Reiskio et Ruhnkenio commendata cod. Par. lectione *παρθενικαῖς*, contra quam multa frustra disputavit Ernestus, male *ἠιθέοις* de utroque sexu intelligens. ad rem cf. Pausanias I 43, 4.

314. 315.

ἔνθεν ἀειζώοντα θεωρίδος ἱερὰ Φοίβῳ
Κεκροπίδαι πέμπουσι τοπήια νηὸς ἐκείνης.

Postrema vox, cum nulla navis in superioribus commemorata sit,

quo referri possit non intelligitur; neque vero ἐκείνης ita accipi potest ut sit *inclytae illius navis.* Itaque aut ἐκείνου scribendum, aut versus excidit huius fere sententiae *eius navis, qua tunc Theseus ad Delum appulerat*, i. e. νηὸς ἐκείνης, τῇ τότε Δηλιακαῖς Θησεὺς ἐπεκέλσατ᾽ ἐπ᾽ ἀκταῖς, eodem orationis colore quo legitur Dian. 60 νηδὺς ἐκείνῃ, τῇ ποτ᾽ ἀροτριόωντι συνήντετο Θειοδάμαντι. Atque haec mihi satis probabilis videtur coniectura esse, sed ut post τοπήια virgula ponatur et sequentia νηὸς ἐκείνης etc. appositio sint ad Θεωρίδος. τοπήια, quod recte explicat scholiasta, Schneiderus in Lexico graeco τυπήια scribendum suspicatur. atqui non effigiem Theseae navis Athenienses Delum mittebant, sed navem ipsam diligenter per longam annorum seriem usque ad Demetrium Phalereum asservatam, armamentis quae tempus arrosisset per singulos annos suppletis. Quam rem celebri sophismati ansam dedisse constat. v. Plutarchus Thes. 23.

320—323.

ὠκέες ἐστείλαντο καὶ οὐ πάλιν αὖτις ἔβησαν,
πρὶν μέγαν ἢ σέο βωμὸν ὑπὸ πληγῇσιν ἑλίξαι
ῥησσόμενον καὶ πρέμνον ὀδακτάσαι ἁγνὸν ἐλαίης
χεῖρας ἀποστρέψαντας· ἃ Δηλιὰς εὕρετο νύμφη —

Multa in his sunt quae animum advertant, primum traiectio particulae ἢ in verbis πρὶν μέγαν ἢ σέο βωμόν, quae et usui et rationi repugnat, nec cum ceteris traiectionis Callimacho ad modum familiaris generibus comparari potest. Tum unde pendere dicendus est accusativus βωμόν? ab ἑλίξαι, inquies. at ἑλίσσειν βωμόν *aram volvere* profecto minime dici potest pro *circum aram volvi*, vel *aram circuire*, ut Ernestus interpretatur. Non raro quidem ἑλίσσειν neutrali significatione dicitur pro

ἑλίσσεσθαι, nunquam tamen ita dictum reperitur sine praepositione. Porro *ῥησσόμενον*, quod quo spectet prorsus intelligi non potest, scholiasta ad *βωμόν* traxit addita interpretatione: *περὶ τὸν βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος ἔθος ἦν τρέχειν καὶ τύπτειν τὸν βωμόν*. Sed huius interpretationis vanitas satis iam explosa est ab editoribus, qui recte intellexere, non aram verberibus caedi, quod absurdum esset, sed ipsos illos, qui circum aram currerent. Ostendit hoc etiam glossa Hesychii *Δηλιακὸς βωμός· τὸ περιτρέχειν κύκλῳ τὸν ἐν Δήλῳ βωμὸν καὶ τύπτεσθαι*. Ita enim e cod. scribendum est, non *τύπτειν*, quae Musuri est *παραδιόρθωσις*, quam nollem secutus esset M. Schmidtius. praeterea pro *Δηλιακὸς βωμός* scribendum *Δηλιακὸς νόμος*. apertum est *βωμὸς* e glossemate in glossam venisse, atque ita demum recte sequi *τὸ περιτρέχειν*. Itaque correxerunt viri docti *ῥησσομένους*, quod sane etiam sequens *ἀποστρέψαντας* postulat. Praestat hoc omnino Ernesti coniecturae, cui *ῥησσόμενοι* et *ἀποστρέψαντες* scribendum videbatur, quorum alterum etiam Stephanus voluerat. at hic quidem parum felix conatus est, nisi quis *πρίν* in tali orationis forma cum nominativo et infinitivo coniungi posse doceat, aut infinitivis verba finita substituat. Ex his omnibus intelligitur locum hunc gravi et inveterato laborare malo, quod non video qui sine forti remedio tolli possit. Scribendum autem suspicor:

> *πρὶν μεγάλης περὶ βωμὸν ὑπὸ πληγῇσιν ἑλίξαι*
> *ῥησσομένους καὶ πρέμνον ὀδακτάσαι ἁγνὸν ἐλαίης.*

cf. Sophocles Antig. 1330 *μεγάλας πληγὰς ἀποτίσαντες*. pronomen *σέο* unde ortum esse dicam nescio, hoc scio non necessarium esse. saltationem illam circa *βωμὸν κερατῶνα* peractam esse, a Theseo quidem, auctor est Plutarchus Thes. 21. Si cui

tamen docere contigerit, ἑλίξαι omissa praepositione *cingendi* significatu recte dici posse, praeter μεγάλης in primo versu nihil novandum fuerit. Ad rem ipsam quod attinet, non inutile fuerit monere, Callimachum, qui Apollinis oblectandi causa hunc morem inventum esse dicit, veram eius causam videri ignorasse. Tota ritus a poeta descripti ratio ostendit, non aliam ob causam eum inventum esse nisi ut expiaretur Thesei erga Ariadnen perfidia. Subindicat hoc eadem quam modo attuli Hesychii glossa quantumvis corrupta, cuius altera pars, quae post τύπτεσθαι sequitur, in cod. ita scripta est: ἦρξατο τούτου (τοῦ νόμου) Θησεὺς χαριστητὴς ἀπάτης λαβύρινθος φυγῆς. non sufficiunt his emendandis quae interpretes Hesychii coniecerunt: χάριτι τῆς ἀπὸ τοῦ λαβυρίνθου φυγῆς, vel χαριστήρια τῆς ἀπὸ τοῦ λαβυρίνθου φυγῆς, deleta quae non temere deleri debebat voce ἀπάτης. Ego hoc unum video indicata post ἀπάτης lacuna scribendum esse ἦρξατο τούτου Θησεὺς εὐαρεστήρια τῆς ἀπάτης, *ut fraudem commissam expiaret*, sive ut *deae iram propter commissam fraudem placaret.* cf. Dionysius Halic. AR. I 67 σὺν ἱκετείαις καὶ θυσίαις εὐαρεστηρίοις, i. e. sacrificiis quibus pacem a penatibus exorabant. Eandem vocem restitui Dionysio l. l. 88 ubi vulgo legitur: θύουσι δ' ἐν αὐτῇ (Παλιλίων ἑορτῇ) περὶ (leg. ὑπὲρ) γονῆς τετραπόδων οἱ γεωργοὶ καὶ νομεῖς θυσίαν χαριστήριον· At χαριστήριος θυσία eorum est qui diis pro *acceptis* beneficiis gratias agunt, quod cum alienum sit ab hoc loco, scribendum haud dubie θυσίαν εὐαρεστήριον i. e. sacrificium placatorium, quo sacrificantes deorum benevolentiam sibi expetunt, quo sensu Horatius Carm. III 23 dixit *si ture placaris penates et horna fruge*, i. e. ἢν εὐαρεστήσῃς. placantur dii etiam non irati.

Idem igitur Hesychius dicere voluit, in cuius glossa quam lacunam indicandam esse dixi, vide an sic supplenda sit [*ἄλλοι δὲ χαριστήρια τῆς ἐκ τοῦ*] *λαβυρίνθου φυγῆς*, ut iam veteres descriptum a Callimacho ritum in diversas partes interpretati esse videantur.

AD HYMNUM IN CEREREM

3—6.

τὸν κάλαθον κατιόντα (χαμαὶ θάσασθε βέβαλοι)
μηδ' ἀπὸ τῶ τέγεος μηδ' ὑψόθεν αὐγάσσησθε,
μὴ παῖς μηδὲ γυνὰ μηδ' ἃ κατεχεύατο χαίταν,
μηδ' ὅκ' ἀφ' αὐαλέων στομάτων πτύωμες ἄπαστοι.

Quam ob causam *θάσασθε* scripserim pro eo quod libri habent *θασεῖσθε* indicavi in adnotatione critica; parenthesios signa addidi Hemsterhusium et Ernestum secutus. at longe aliam scripturam horum verborum Blomfieldus apud scholiastam Platonis Symp. p. 218b sibi repperisse visus est, qui ad Platonica verba *οἱ δὲ οἰκέται καὶ εἴ τις ἄλλος βέβηλός τε καὶ ἀγροῖκος πύλας μεγάλας τοῖς ὠσὶν ἐπίθεσθε* haec adscripsit: *ἐντεῦθεν παρῴδησε Καλλίμαχος ἐν ὕμνῳ Δήμητρος καλάθου τό ‛θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι'.* praepropere hanc scripturam adoptavit Blomfieldus, non videns ille, si scripsisset ita Callimachus, inepte admoneri profanos ne audire velint ea quae statim inferuntur iussa. apertum est scholiastam Platonis nihil aliud dixisse quam hoc, Callimachum suum illud *χαμαὶ θάσασθε βέβηλοι* adsimulasse solenni illi in mysteriis formulae*).

---

*) Hac occasione invitatus moneo quod nuper J. Rauch in commentatione de Aetiis Callimachi p. 67 e Servio ad Virgilii Aen. VI 258 Cal-

In sequenti versu perverse mihi dictum videbatur *neque ex tectis neque ex edito loco,* quasi qui e tectis spectat non item ex edito loco spectet. Qui autem sic interpretantur *neque e tectis neque aliunde ex alto,* ex arbore puta vel colle, suo arbitrio inferunt aliquid quod non inest in verbis. ut breviter dicam, requiro oppositionem ita facile restituendam:

μήτ' ἀπὸ τῶ τέγεος μήτ' αὐτόθεν αὐγάσσησθε,

in quo *αὐτόθεν* est *ex loco in quo statis, ex plano.* mutatione facillima *ΜΗΤΑΥΤΟΘΕΝ*, ut vides, effeci ex *ΜΗΔΥΨΟΘΕΝ*. ut alio loco *ἐτιάασθαι* in Voss. scribitur pro *ἐψιάασθαι.* praeterea *μήτε — μήτ'* ex certa linguae lege pro *μηδὲ — μηδ'* scribendum erat. Neque magis probandus est Blomfieldus quod quae quinto versu leguntur verba *μηδ' ἃ κατεχεύατο χαίταν* vel de virgine dicta putat, quae matrimonium initura comam in honorem dei heroisve alicuius posuerit, vel de femina quae propter mortem affinis comam detonderit. atqui *καταχεῖν χαίτην* earum est, quarum comae vitta solutae libere per collum vagantur. similiter Homerus Il. V 734 de Minerva dixit *πέπλον κατέχευεν ἑανὸν πατρὸς ἐπ' οὔδει.* nec dissimile est *καταβάλλειν ἴουλον* apud Theocritum XV 85. Ex eodem dicendi usu explicare soleo Sophoclis locum apud Dionysium Ant. Rom. I 48 (fragm. 343):

νῦν δ' ἐν πύλαισιν Αἰνέας ὁ τῆς θεοῦ
πάρεστ', ἐπ' ὤμων πατέρ' ἔχων κεραυνίου
νώτου καταστάζοντα βύσσινον φάρος.

Perverse haec perversam lectionem secutus interpretatur Plutarchus Mor. p. 100 d. Sophocles suo more exquisitius loquens *καταστάζοντα* dixit pro *καταχέοντα.* Anchisae dependebat ab

limacho attribuit fragmentum *ἑκὰς ἔστε βέβηλοι*, non Callimachi esse videri, sed recentioris grammatici inventum. v. Burmannum ad Servii locum. Si verba *de Callimacho* Servii sunt, respicere is potuit h. in Apoll. 2.

humeris dorsumque tegebat vestis. Itaque Callimachi verba de innupta virgine intelligenda sunt, quam ad rem apposite Antipatri uti licebit carmine Anthol. Pal. VI 276

Ἡ πολύθριξ οὔλας ἀνεδήσατο παρθένος Ἵππη
χαίτας, εὐώδη σμηχομένα κρόταφον)·*
ἤδη γάρ οἱ ἐπῆλθε γάμου τέλος.

ubi recte iam vides scriptum esse *ἀνεδήσατο*, quod pessimis coniecturis vexatum est. Hippe dum innupta erat, *κατεχεύατο χαίτας*, nunc autem nupta *ἀνεδήσατο χαίτας*. Commemorat igitur Callimachus pueros, matronas, virgines. Aliter haec intellexit etiam Schneiderus Phil. Gott. VI p. 532, cui *καταχευάμεναι* eae sunt, quae nimio dolore vel bacchico quodam furore abreptae nullam habent capillorum curam. Quae mihi aliena ab h. l. esse videtur interpretatio. Superest postremus versus, in quo explicando frustra operam posuerunt interpretes. quodsi quis hoc mihi concedat, *ἀφ' αὐαλέων στομάτων πτύειν*, quod ieiunorum est, indicare tempus matutinum, facile idem mihi dabit excidisse versum, quo contrarium i. e. pomeridianum vel vespertinum tempus indicatum erat, ut haec emergat sententiarum series: *ne quis calathum adspicere audeat, neque mane*, quo tempore calathus ex templo effertur et pompa instituitur, *neque vespera*, quo tempore in locum suum reponitur. Haec si recte disputata sunt, apertum est in hanc sententiam aliquid a poeta scriptum fuisse:

μήθ' ὄκ' ἀφ' αὐαλέων στομάτων πτύωμες ἄπαστοι,
[μήθ' ὄκα δειελινοὶ λιπαρᾶς τερψώμεθα δαιτός.

Non inepte compares Horatii Carm. IV 5 preces fundere iubentis *integro siccos mane die, et uvidos, cum sol oceano subest.*

---

*) Nescio an scripserit Antipater *πλόκαμον.* cfr. Callim. L. P. 32 *λιπαρὸν σμαξαμένα πλόκαμον.*

16. 17.

Καλλιχόρῳ δ' ἐπὶ φρητὶ καθέζεο παιδὸς ἄπυστος
αὐσταλέα ἄποτός τε, καὶ οὐ φάγες οὐδὲ λοέσσω.

De primi versus scriptura satis dictum est in adnotatione critica. nec poenitet receptae e Clemente lectionis etiam post ea quae contra Naekium et Schneidewinum scripsit Schneiderus l. l., qui non ferens deam consedisse, servata librorum scriptura *τρὶς δ' ἐπὶ καλλίχορον* reliqua ita commodius scribi posse opinatur:

τρὶς δ' ἐπὶ καλλίχορον φρέαρ ἵκεο δαιτὸς ἄπαστος
καὐσταλέα ἄποτός τε,

et versum qualis ex Clemente nunc editus est, non ex hoc hymno petitum, sed ad *Αἴτια*, in quibus item de Cerere poeta egerit, referendum existimat. Mihi haec omnia coniecturis niti videntur incertissimis, nisi quod *δαιτὸς ἄπαστος*, quod mihi quoque, cum primum Naekii adnotationem legi, in mentem venit, non improbandum videtur. Quod enim filiae investigandae causa Ceres terrarum orbem pererraverat, necdum eam reppererat, id post vs. 9 iterari non modo non necessarium, sed etiam subabsurdum erat, hoc quidem loco, quo miserum potius deae habitum describi expectabas, cibi expertis, squalore obsitae potuque abstinentis. Itaque verum esse puto *δαιτὸς ἄπαστος*, sed ut sequentis versus partem alteram *καὶ οὐ φάγες οὐδὲ λοέσσω*, ex vs. 12. interpolatam et in genuinorum verborum locum suffectam arbitrer. quae etiam Hermanni sententia fuit apud Schneidewinum Coniect. crit. p. 83. Unum est quod addam. pro inficeto vs. 15, qualis quidem in plerisque libris exhibetur, *τρὶς δ' ἐπὶ καλλίστης νήσου δράμες ὀμφαλὸν Ἔνναν*, ego lacunam indicavi. Non incredibile tamen est, id quod etiam Naekius l. l. statuit, verba *τρὶς δ' ἐπὶ καλλι* revera in antiquo co-

dice adfuisse, interpolatores autem non nisi sequentia addidisse. Hoc igitur si verum est, non male totum versum ita refinxeris: *τρὶς δ' ἐπὶ Καλλι[ρόης ἵκον εὐήρυτον ὕδωρ]*. in his cetera quidem incerta sunt, at Callirrhoe, fons Athenarum nobilissimus, aptissime commemoratur. *εὐήρυτον ὕδωρ* sumpsi ex Homer. h. Cer. 106. simile item quod incertus poeta, ipse fortasse Callimachus, dixit de Clepsydra in arce Athenarum *κλεψίρρυτον ὕδωρ* apud Hesychium s. v.

In iis quae his proxime inferuntur post vs. 19 unius versus lacunam esse puto. postulare hoc videtur illud Callimachi orationis ad strophicam concinnitatem conformandae studium, de quo in Diatribe ad vs. 28. ad Dian. 130. et Del. 280. exposui. Cum enim tria ponat poeta, quibus commemorandis melius quam erroribus deae describendis operam insumi dicit, ac cum unum quodque horum a voce *κάλλιον* ordiatur, verisimile est primum illud de legibus a dea *θεσμοφόρῳ* datis pariter ac quod tertio loco de vindicta impietatis tradit, eodem versuum numero inclusum fuisse, ut qui his interiacent versus tres mesodi instar duobus versuum paribus circumdati fuerint. Quod in eodem illo versu scribi posse conieci, *ἐὰν θέτο πότνια τάξιν*, ad iustum rerum civilium ordinem, qui legibus efficitur, referebam, quam sententiam in eo quem excidisse conieci versu enucleatius explicarit: nisi aliquid de matrimonii a Cerere primum instituti sanctitate additum fuit.

22.

Ἁνίκα Τριπτόλεμος ἀγαθὰν ἐδιδάσκετο τέχναν.

Sine idonea causa Wernicke ad Tryphiod. p. 397 pro *ἀγαθάν* malebat *ζαθέαν*. Brevium syllabarum in consonantem exeuntium productionem apud Callimachum his observavi locis. Apoll.

2 *ἑκὰς ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός.* 19 *ἢ κίθαριν ἢ τόξα.* 20 *οὐδὲ Θέτις Ἀχιλῆα*, ubi Wernicke *οὐδὲ Θέτις φίλον υἷα* tentat. Del. 83 *ἦ ῥ' ἐτεὸν ἐγένοντο τότε δρύες ἡνίκα νύμφαι*, ubi Vind. *ἐτεόν γ' ἐγένοντο.* 193 *ἀνθέρικος ὥς.* 194 *ἔνθα νότος, ἔνθ' εὖρος.* 229 *Ἀρτέμιδος ἥτις τε θοῆς ὅτε παύσεται ἄγρης.* 238 *μή οἵ τι καὶ αἰφνίδιον ἔπος εἴπῃ.* 263 *βαθὺς Ἰνωπὸς ἑλιχθείς.* Ex his *ἑκὰς ἑκάς* ut e solenni formula receptum satis excusationis habet; pro *κίθαριν* plures libri *κιθάρην* habent; de *ἀνθέρικος ὥς* et similibus Hermannus Orph. p. 700 dixit; *αἰφνίδιον ἔπος* defenditur eo quod *ἔπος* apud Homerum digammatum est; *Τριπτόλεμος* et *Ἀρτέμιδος* excusationem habent a nomine quadrisyllabo, quae quamquam non cadit in *Θέτις Ἀχιλῆα, νότος ἔνθα, βαθὺς Ἰνωπός*, tamen ne haec quidem in vitii suspicionem vocanda sunt.

28.

ἐν πίτυς, ἐν μεγάλαι πτελέαι ἔσαν, ἐν δὲ καὶ ὄχναι.

Fuerunt quos male haberet *πίτυς* numero singulari positum, cum reliquae arbores pluralem habeant. Facile id evitare potuit poeta scribendo *ἐν πίτυες μεγάλαι πτελέαι τ' ἔσαν.* noluit tamen hoc facere, quod sic concinnitas periret, qua varia arborum genera composita sunt, quorum unicuique praepositionem praefixit totamque orationem ita instituit, ut secundam et quartam arborem epitheto ornaret, primam et tertiam inornatam relinqueret. dixi de hoc poetae nostri artificio aliis locis, neque dubito quin eodem concinnitatis studio ductus non *ὄχναι* scripserit Callimachus, sed *ὄχνα*, ut iam singularis singulari, pluralis plurali respondeat. Nam illud sane fieri non potest ut *πίτυς* ultima correpta pro plurali sit, quod in bono poeta intolerabile, in se-

rioris aetatis poetastris fortasse ferendum est, quemadmodum Parmenio Anth. Pal. IX 113 in plurali *κόρῐς* dixit, si tamen dixit, neque locus corruptus est, et scriptor Sibyllinorum Orac. I 187. V 418. IX 96. 199 *πόλῐς*. ita enim corrigendum est quod omnibus his locis editur *πόλεις*.

30. 31.

θεὰ δ' ἐπεμαίνετο χώρῳ,
ὅσσον Ἐλευσῖνι Τριόπᾳ θ' ὅσον ὀκκόσον Ἔννᾳ.

Revocavi librorum scripturam *Τριόπᾳ*, cui iusto calidius critici *Τριόπῳ* substituerunt. usitatum huius loci nomen est *Τριόπιον*, non *Τρίοπον*. cuius formae quod unicum exemplum extat apud Theocritum XVII 68 parum certa fide nititur:

ἐν δὲ μιᾷ τιμῇ Τρίοπον καταθεῖο κολώναν.

ubi meo iudicio rectissime *Τρίοπος* a *Τρίοψ* restituit Stephanus. a vulgari forma *Τριόπιον* si poeta versus causa recessit, *Τριόπη* potius quam *Τρίοπον* eum finxisse crediderim, quocum commode comparari possunt aliarum urbium nomina, *Καλλιόπη Πανόπη Ἀλόπη Ἰόπη Παρθενόπη*. At fortasse alius urbis Cereris cultu clarae nomen in *Τριόπᾳ* latet. quid enim? nonne permirum videri debet Triopium hic commemorari, quod postea demum a Triopidis occupatum Cereris cultu inclaruit? qui tanto mirabilior anachronismus est, cum ipse poeta expressis verbis dixerit *οὔπω τὰν Κνιδίαν, ἔτι Δώτιον ἱρὸν ἔναιον*. Itaque suspicari possis pro *ΤΡΙΟΠΑΙ* unius literae transpositione facta scribendum esse *ΤΡΙΠΟΛΙ*. Tripoles in Graecia fuerunt plures, in Messenia, in agro Laconico, in Arcadia, Rhodo. Thessalia, Macedonia. Quarum quam potissimum in animo habuerit poeta, si tamen scripsit, quod ego dubitanter conieci, alii

fortasse docere poterunt. Corruptum praeterea in verbis supra adscriptis videtur *ἐπεμαίνετο*, quod fere in malam partem dicitur de amore impotente vel incesto, ut apud Homerum *τῷ δὲ γυνὴ Προίτου ἐπεμαίνετο.* et sic apud bonos scriptores, si recte memini, constanter. Ad veram lectionem ducere videtur bonorum librorum scriptura *ἐπεμαίετο*, in qua *ἐπαγαίετο* mihi latere videbatur, nisi quis *ἐπαγάλλετο* praeferat, quod non multum distat ab *ἐπεμαίνετο.* quantillum enim interest inter *ΕΠΕΜΑΙΝΕΤΟ* et *ΕΠΑΓΑΛΛΕΤΟ*? Versu sequente pro *Τριοπίδαισι* Ven. *Τριοπίδεσσι*, quod *Τριοπίδῃσι* scribendum erat. Observasse enim mihi videor, quae plurimis locis in codicibus reperitur dativi primae declinationis forma *εσσι*, eam non ex *αισι* natam esse sed ex *ῃσι.* In Rhiani carmine Anthol. XII 121 Pal. habet *ῥοδέεσσιν*, quod recte Brunckius *ῥοδέῃσιν* scripsit, et apud nostrum Del. 242 pro *δυστοκέες* non *δυστοκίαις* edere debebam, sed *δυστοκίῃς.* in oraculo a Welckero Syll. Epigr. p. 263 edito *Τημενίδεσσι* male relictum est pro *Τημενίδῃσι.*

36.

ἀμφότερον, πελέκεσσι καὶ ἀξίνῃσιν ὁπλίσσας.

Notissimus hic usus est vocis *ἀμφότερον* multisque exemplis praeter necessitatem illustratus a Blomfieldo ad vs. 79. nec memorassem ego, nisi res etiam aliis poetis profutura esset, velut Empedocli cuius hi versus sunt apud Simplicium phys. f. 86 b. (p. 65 ed. Stein.):

οὐλοφυεῖς μὲν πρῶτα τύποι χθονὸς ἐξανέτελλον,
ἀμφοτέρων, ὕδατός τε καὶ οὔδεος αἶσαν ἔχοντες.

ubi ex certa linguae lege scribendum *ἀμφότερον.* eodem vitio legitur in Sibyll. Orac. XI 3:

δῶκε κράτος καὶ ἀφεῖλαϑ᾽, ὃ δὴ χρόνον ὥρισεν αὐτοῖς ἀμφοτέρων, ζωῆς τε καὶ οὐλομένου ϑανάτοιο.

Hic etiam *ἀμφότερον* scribendum, idque eo confidentius, cum idem loquendi genus sacrorum librorum scriptores usurparint. raro in hoc dicendi genere pro *ἀμφότερον* ponitur *ἀμφότερα*, ut apud Theognin 980 *χερσίν τε σπεύδον χρήμασί τ᾽ ἀμφότερα*, nisi hic quoque *ἀμφότερον* scripsit. at prorsus singulare est quod Leonidas Tarentinus Anth. Pal. IX 25 dixit *ἀπλανέας τ᾽ ἄμφω καὶ ἀλήμονας*, non tam propter pluralem, quam propter locum quo *ἄμφω* positum est, ceteris *ἀμφότερον* aut in capite sententiae aut, quod longe rarissimum, in fine ponentibus. Admonent me haec alius Callimachi fragmenti apud schol. Apollonii Arg. III 1322 *ἀμφότερον κέντρον τε βοῶν καὶ μέτρον ἀρούρης* (Fragm. CCXIV) quod uno eoque perraro vocabulo auctum viri docti exhibere potuissent. de *ἄκαινα* enim agit scholiasta Apollonii, ut apertum sit hac ipsa voce in fine praecedentis versus Callimachum usum fuisse. non recte igitur Heckerus Comm. Callim. p. 89 versum illum cum Fragm. CXXV coniunxit.

45.

στέμματα καὶ μάκωνα, κατωμαδίαν δ᾽ ἔχε κλαΐδα.

In antiquae artis operibus haud pauca reperiuntur monumenta, in quibus sacerdotes clavem gestantes repraesentantur, at non sane ut humero eam affixam habeant, sed ut omnes clavem tenemus, dextra eam manu gestantes. Ea me res olim movebat, ut *κλαΐδα* de humero Erysichthonis interpretandam putarem, quam manu tenens dea demulcere conatur ferocem iuvenem. Atque ita haec intellexisse video etiam Heckerum, male tamen et praeter necessitatem corrigentem *κατωμαδίας δ᾽ ἕλε κλαιδός.*

nunc redeo ad vulgarem *clavis* significationem, modo ne quis cum Ernesto interpretetur *humerisque reposuit clavem*, sed *habebat clavem de humeris pendentem* licio scilicet adnexam.

52. 53.

ὤρεσιν ἐν Τμαρίοισιν ὑποβλέπει ἄνδρα λέαινα
ὠμοτόκος, τᾶς φαντὶ πέλειν βλοσυρώτατον ὄμμα.

Convenit fere illud Ovidii Metam. XIII 803 *foeta truculentior ursa.* *ὠμοτόκος* enim Callimacho lea est *a partu recens*, *modo partu liberata;* similiter *ὠμόυπνος* dicitur qui modo in somnum lapsus est ab Eupolide Fragm. Com. II p. 551. et *σπαρτοπόλιος ὠμόγραυς* a Menandro apud Photium Lex. p. 529, 20 sive Fragm. Com. V p. 109 mulier quae aetatis florem transgressa anus fieri incepit. deflexit igitur aliquantulum Callimachus ab usitata adiectivi *ὠμοτόκος* significatione, in quo eius exemplum secutus est Nonnus Dion. XV 200, cum h. l. tum h. in Del. 120 *ὠμοτόκους ὠδῖνας ἀπηρείσαντο λέαιναι*, ubi *ὠμότοκος* passivam significationem habet, quam optime illustrat Plinius HN. XI 176 *superiora omnia* (animalia) *perfectos edunt partus, haec inchoatos, in quo sunt genere leaenae, ursae.* cf Aristotelis H. A. VI 27. Non ausim igitur Schneidero Phil. Gott. VI p. 509 accedere in utroque Callimachi loco vocem *ὠμοκότος* reponenti.

71. 72.

καὶ γὰρ τᾷ Δάματρι συνωργίσθη Διόνυσος.
τόσσα Διώνυσον γὰρ ἃ καὶ Δάματρα χαλέπτει.

Dixi de his versibus quantum satis est in adnotatione critica: habeo tamen quae addam. poterunt enim ii qui alterum versum pro spurio reiciunt sententiae suae aliquam veritatis speciem ex eo conciliare, quod Callimachus particulam *γάρ*, in cuius usu post

plura vocabula alii, inprimis Attici mirifice luxuriantur, nunquam secundae tertiaeve voci subiecit, nisi forte in talium vocularum coniunctione quales sunt *καὶ σὺ γάρ*. ut vel hanc ob causam h. in Iov. 86 probari non possit scriptura a Valckenario commendata. Anxiam saepe, ne dicam putidam Alexandrini poetae in eiusmodi rebus posuerunt diligentiam, cuius nullam aliam causam habuerunt, quam quod illis sic placebat. eodem pertinet quod in Diatribe ad h. in Iov. 72. de particula *τοί* a Callimacho caute vitata dixi, ne metricas quasdam leges commemorem. quare si genuinus est de quo dicimus versus, videndum ne scripserit poeta:

τοσσάδε γὰρ Διόνυσον ἃ καὶ Δάματρα χαλέπτει.

Quod de positu particulae *γάρ* dixi, etiam aliis Callimachi locis prodesse poterit. Notum est fragmentum in tribus Etymologicis servatum, quorum Parisiense habet praescripto Callimachi nomine haec pauca: *ἄκουσον ὀφθαλμοὶ γάρ*. Ultraiectinum *καὶ κόσσον ὀφθαλμοὶ γὰρ ἀπαθέως ὅσον ἀκοή. εἰδυλίς.* denique Gudianum *καὶ κόσσον ὀφθαλμὸς γὰρ ἀπ' εὐθεὼς ὅσσον ἀκούει, ἢ δύλις.* Ex his igitur Naekius Opusc. I p. 71 egregio acumine elicuit:

*ὀκκόσον ὀφθαλμοὶ γὰρ ἀπευθέες, ὅσσον ἀκουή
εἰδυλίς.*

Ac sententiam horum verborum verissime Naekius perspexit; at particulam *γάρ*, ut dixi, certo Callimachus hoc loco non posuisset. praeterea valde dubito de *ὀκκόκον — ὅσσον, tam — quam.* neminem fugit ὅσον ὅσον saepissime sic coniungi, sed alio sensu neque unquam disiunctim. Naekio autem, si recte conicio, obversabatur locus Theocriti Id. IV 39 *ὅσον αἶγες ἐμὶν φίλαι, ὅσσον ἀπέσβης.* Sed haec depravatissima esse ostendi in Philol. Gott. XIII p. 397, ubi sententiam tale quid requirere de-

monstravi: ὅσον ἄχθευ, ἐμὶν φίλα, ὅσσον ἀπέσκλης, i. e. *quantos dolores tulisti, o mihi cara, quantum extabuisti!* Itaque nihil facit hic locus ad commendandam Naekii emendationem, cui aliam opponam:

ἄισον· ὀφθαλμοὶ γὰρ ἀπευθέες, ὅσσον ἀκουή εἰδυλίς.

i. e. *audiendum tibi est, si quid certo scire vis*, cuius loco quod Etym. Par. habet ἄκουσον, nihil est nisi interpretatio verbi ἄισον, quod a grammaticis fere per ἀκούειν explicatur, ut ab Hesychio Ἄιεν δέ· ἤκουεν δέ. Sed redeo ad particulam γάρ, quae item non suo loco posita est in Fragm. CXXII 1

καὶ παρ' Ἀθηναίοις γὰρ ἐπὶ στέγος ἱερὸν ἧνται.

in quo versu voculis γάρ et παρ' transpositis scribendum καὶ γὰρ Ἀθηναίοις πάρ', notissimo usu particularum καὶ γάρ eo, de quo dictum est ad Menandri Rel. p. 243. Denique afferam qui non minus certissima vitii indicia habet versum nostri poetae ab Hephaestione p. 49, 17 servatum sive Fragm. CLXXXII

φιλωτέρα ἄρτι γὰρ ἁ Σικελὰ μὲν Ἔννα.

ita enim recte Hermannus dedit pro γάρ οἱ Σικλά. sed praeterea scribendum erat

Φιλωτέρα*), ἄρτι γὰρ ἁ Σικελὰ μὲν Ἔννα —

ut Philoteram, quae Ptolemaei Philadelphi seror erat, alloquatur poeta. Dixi olim de Philotera ad Stephanum Byz. p. 666, sed neglecto quantivis pretii testimonio de singulari verecundia re-

---

*) Cognatum nomen Φιλτέρα in Thesauro Par. omissum Attico titulo a Boeckhio C. I. vol. I p. 916 et nuper a Jahnio ad Pausaniae descript. arcis Athen. p. 44 edito restituendum est:

Παλλὰς Ἐρεχθειδᾶν ἀρχαγέτι, σὸν κατὰ ναόν
ἅδε τοι ἱδρύθη Φιλτέρα Ἱε[οκλέ]ος.

Sic enim haec redintegranda sunt.

giae sive virginis sive matronae apud Clementem Alex. Strom. IV p. 522 b: *Φιλωτέραν δὲ ὁπότε μέλλοι εἰσιέναι τὴν πύελον ἡσυχῇ ἐπαναστείλασθαι τὸν χιτῶνα καθ' ὅσον τὰ γυμνὰ τὸ ὕδωρ ἔσκεπεν· εἶτα κατ' ὀλίγον αὖθις ἀνιοῦσαν ἐπενδύεσθαι.* quibus addantur licet quae in Philol. Gott. XII p. 627 de glossa Hesychii *Φιλωτερίς· καστανέα* disputavi, in eo tamen falsus, quod festum in honorem Philoterae institutum ab Herodiano in Crameri AO. III p. 277 commemorari credidi; recte illic legitur *Φιλεταίρεια*, quod de ludis Philetaero Pergameno dedicatis interpretor, idemque sine dubio etiam Theodosio Gramm. p. 69, 22 restituendum, ubi *Φιλωτέρεια*. edidit Göttlingus. In Callimachi fragmento, ut hoc addam, Enna fortasse non urbis sed mulieris nomen erat.

87—90.

ἢ ἔπεσ' ἐξ ἵππων ἢ ἐν Ὄθρυϊ ποίμνι' ἀμιθρεῖ.

Dixi me malle *ἀμίθρει*, cuius rei hanc causam habui quod, si praesens legitur, et haec et quae praecedunt *Ἐρυσίχθονα δίσκος ἔτυψεν* atque *ἔπεσ' ἐξ ἵππων* ipsa matris verba esse existimandum est. qua ratione oratio interpositis particulis *ἤ* — *ἤ* parum eleganter interciditur. id cavetur posito imperfecto; ac nos quoque ita loqui solemus: *ward er zu einer hochzeitfeier geladen, so war er aus dem Wagen gestürzt, oder er zählte die Herden auf dem Othrys.* Vs. 88 ubi *δ' ἤπειτα* legitur rectius sine dubio est *δὴ ἔπειτα*, ut in Homero ubique scripsit Bekkerus. nolui tamen quidquam mutare, cum incertum sit quam rationem in talibus poeta grammaticus secutus sit. Gravioris momenti sunt sequentia vs. 89.

ἤσθιε μυρία πάντα· κακὰ δ' ἐξάλλετο γαστήρ
αἰεὶ μᾶλλον ἔδοντι. τὰ δ' εἰς βυθὸν οἷα θαλάσσης —

in quibus *ἐξάλλετο* frustra explicare conati sunt critici. Quid dici debeat rectissime intellexit scholiasta *ηὐξάνετο ἐπὶ τῷ ἐσθίειν*. ex quo fuit cum hunc in codice suo legisse existimarem *ἐξαύξετο*, sive potius *ἐπαέξετο*. nam *ἀέξειν* Callimachus ut omnes epici dicere solet, non *αὔξειν*. Praetuli huic propter maiorem mutationis facilitatem Blomfieldi emendationem *ἐξάλδετο*, sed quam ipse inficete de aucta ventris obesitate interpretatur, Calvo Erysichthonem similem evasisse dicens, cui *pinguis aqualiculus propenso sesquipede extabat*. in tanta interpretationis perversitate fieri non potuit quin tota haec descriptio Blomfieldo sordidissima et infra dignitatem hymni esse videretur. atqui Callimachus hoc dicit: *Erysichthonem quanto plura comederet tanto magis esuriisse*. in quo nihil est quod merito reprehendas. similiter nos dicimus: *ie mehr er as, desto grösser wurde sein magen*. denique confirmat illam emendationem scholiasta Homeri Il. ψ 599 *ἀλδήσκοντος* pariter explicans per *αὐξανομένου*.

95. 96.

κλαῖε μὲν ἁ μάτηρ, βαρὺ δ' ἔστενον αἱ δύ' ἀδελφεαί,
χὠ μαστὸς τὸν ἔπινε καὶ αἱ δέκα πολλάκι δῶλαι.

Dicuntur haec de luctu quo tota Triopidarum domus propter insatiabilem Erysichthonis famem afflicta erat. insunt autem complura quae animadversione non indigna videri possunt. In his primo loco pono verba *χὠ μαστὸς τὸν ἔπινε*, quae nisi de eo, quem nutrix adhuc lactat, intelligi non possunt. id cum in Erysichthone, viginti minimum annorum iuvene, absurdum sit, satis probabile esse opinor Callimachum scripsisse *μαστός θ' ὄν ποκ' ἔπινε*, sive ut statim apparebit *ἔπωνε*. cuius coniecturae haud leve firmamentum est, quod *χὠ* in Voss. quamquam cum lacunae indicio omittitur. Praeterea non negligi debebat optima

codicum scriptura *ἔπωνε*, quae aeolica forma est pro *ἔπινε*. Alcaeus apud Athenaeum XI p. 460 d *ἐκ δὲ ποτηρίων πώνης Δινομένῃ παρίσδων*. optime de hac forma meritus est Ahrens Dial. II p. 511 et 532 qui eam non modo Alcaeo Athenaei X p. 430 a ex codd. vestigiis restituit: *νῦν χρὴ μεθύσθην καί τινα πρὸς βίαν πώνην*, sed etiam Eubulo reddidit emendatione certissima apud Athenaeum X 417 b. His adde Hesychium sive ut equidem puto Alcaeum apud Hesychium *Εὔπωνος ὄμβρος* (leg. *οἶνος*)· *εὔποτος*. quae ex ipso initio strophae alcaicae ducta videntur. Nec dubitandum quin etiam aliis Alcaei locis (Athen. I p. 22 f. X 430 c) *πώνειν* pro *πίνειν* scribendum sit. Sed in eodem versu non sine offensione est illud *πολλάκι*, non propter locum quem occupat (talium enim transpositionum magnus est apud Callimachum numerus), sed propter sententiam, cuius vis mirifice debilitatur eo quod *saepe* ingemuisse servae illae dicuntur. Facile quidem credimus non continuo in gemendo plorandoque illas perseverasse, at id disertim dici a poeta putidum est et exile. nihil tamen mutandum est, sed *πολλάκις* ita h. l. positum est, ut positam hanc voculam esse observavi apud Theocritum II 88 *καί μευ χρὼς μὲν ὁμοῖος ἐγίνετο πολλάκι θάψῳ* et vs. 57 *δέρματα τᾶν παρὰ τὶν μαλακώτερα πολλάκις ἀρνῶν*. ad eundem usum refero haec Callimachi Lav. Pall. 22 *Κύπρις δὲ διαυγέα χερσὶν ἑλοῖσα πολλάκι τὰν αὐτὰν δὶς μετέθηκε κόμαν* et ibidem v. 65 *πολλάκις ἁ δαίμων νιν ἑῷ ἐπεβάσατο δίφρῳ*, ubi *πολλάκις* non proprio et usitato sensu dici, docent quae praecedunt verba, *εὖτ' ἐπὶ Θεσπιέων ἢ 'πὶ Κορωνείας ἢ εἰς Ἁλίαρτον ἐλαύνοι ἵππως*, i. e. *quotiescunque amata sibi loca visitaret*, quibus vides parum recte *πολλάκις* inferri ita, ut dea *saepe* illam curru suo recepisse dicatur. rursus Callimachus Epigr. XVI *Κρηθίδα*

τὴν πολύμυθον δίζηνται Σαμίων πολλάκι θυγατέρες. neque aliter interpretanda haec Platonis Phaed. p. 73 d: *Σιμμίαν τις ἰδὼν πολλάκις Κέβητος ἀνεμνήσθη*, vel haec Apollodori Bibl. I 6, 3 *ἡ δὲ κεφαλὴ πολλάκις τῶν ἄστρων ἔψαυε.* in horum exemplorum multis *πολλάκις* tam subtilem et quasi aerium significatum habet, vix ut uno verbo commode et plene exprimi possit; plerumque tamen respondet germanico *wol*, *etwa*, vel latino *si res ita ferebat.* cognatus, at tamen paulo diversus est usus in formula frequenti *εἰ πολλάκις*, *μὴ πολλάκις* etc. quam exemplis illustravit Heindorfius ad Platonis Phaed. p. 19. Ceterum ex tota de his versibus disputatione intellectum iri credo, iniuria Valckenarium teste Ernesto alterum versum tanquam spurium et Callimacho indignum deleri voluisse. de nomine *μαστός*, in quo praecipue vir doctissimus haesisse videtur, abunde dixi ad Epigramma L 1.

102. 103.

εἴθε γάρ αὐτόν
βλητὸν ὑπ' Ἀπόλλωνος ἐμαὶ χέρες ἐκτερέιξαν.
νῦν δὲ κακὰ βούβρωστις ἐν ὀφθαλμοῖσι κάθηται.

Non offenderunt haec doctissimos editores, qui cum metum pudorem aliosque animi affectus passim a poetis in oculis hominum insidere dici meminissent, eodem modo etiam famem improbam *ἐν ὀφθαλμοῖσι καθῆσθαι* dici posse censuisse videntur. Vides quam haec sint diversa, neque auctor sim cuiquam ut ea in re utatur Musonio apud Stobaeum Flor. XVIII 38 de *γαστριμάργοις* hoc dicente: *εὐσχημονεῖν μὴ δυνάμενοι οὐ ταῖς χερσίν, οὐ τοῖς ὀφθαλμοῖς.* Paulo tolerabilius in *malis*, *ἐνὶ γναθμοῖσι* famem Erysichthonis sedere dixisset poeta, vel quod olim in Philol. Gotting. XIV p. 5 dubitanter coniectavi *ἐνὶ*

σπλάγχνοισι κάθηται, Hesychii glossa usus *Ἐνὶ σπλάγχνοις· ἐν ἐντέροις.* sed haec glossa referenda potius ad Empedoclem Clementis Alex. Strom. p. 656 (vs. 57 ed. Stein.)

γνῶθι, διατμηθέντος ἐνὶ σπλάγχνοισι λόγοιο.

Nunc aliam sententiam secutus sum et faciliorem et praecedentibus accomodatiorem. Scripsi enim:

νῦν δὲ κακὰ βούβρωστις ἐνὶ θαλάμοισι κάθηται.

ipse igitur Erysichthon *κακὰ βούβρωστις dira fames* dicitur, cui consimile est quod Posidippus apud Athenaeum IX p. 377 a homines famelicos *λιμῶν* nomine significat; et Alexis Athenaei IV p. 164 d *βούλιμός ἐσθ᾽ ἄνθρωπος* eodem sensu dixit. Quibus adde indicatum a Boissonado ad Callimachum p. 178 scriptorem infimae quidem aetatis, sed in hac tamen causa non negligendum, ut quem multa ex vetustis scriptoribus derivasse compertum habeam, Constantinum dico Manassem Chron. 3659 ubi Phocas vocatur *βούβρωστις καὶ παντοφάγος φάρυξ.* Vertendum igitur *nunc autem tanquam dira fames in cubiculo sedet, nun aber sitzt er, ein arger Vielfrass, daheim.* Hac emendatione illud simul consequimur, ut praecedenti Triopae voto de interitu Erysichthonis apte sequentia respondeant. subabsurdum enim est in vulgari interpretatione verbis *utinam filium meis ipse manibus sepelivissem* inferri *nunc autem ingenti fame laborat.* Productae brevis ῐ exempla praebet ipse Callimachus h. in Dian. 55. 66 *ἐπὶ μέγα*, ib. 47 *ἐνὶ Λιπάρῃ*, Del. 292 *Οὖπίς τε Λοξώ τε*, Fragm. 474 *μέσσον ἐπὶ ναύταις.* Differunt haec quidem eo, quod productio ante liquidam est, sed ut alias brevium syllabarum productiones Callimachus sibi indulsit, de qua re ad vs. 22 dictum est, ita dubitari non potest quin etiam *ἐνί* h. l. recte produci possit, praesertim cum etiam ante aspiratam productae syllabae exemplum adsit h. in Iov. 36 *πρωτίστῃ γενεῇν μετά*

γε Στύγα τε Φιλύρην. Alioquin non minus facili emendatione scribi possit *ἔσω θαλάμοιο κάθηται.* sed non opus est.

106. 107.

χῆραι μὲν μάνδραι, κενεαὶ δέ μοι αὖλιες ἤδη
τετραπόδων· ἤδη γὰρ ἀπηρνήσαντο μάγειροι.

In his etiam versibus vitium latet a criticis non animadversum. Postquam enim omnis generis armenta absumta esse dictum est, scire velim qua lege eius rei causa reddi possit sequentibus *iam enim coqui animum desponderunt*, vel ut Ernestus sententiam expressit, *fessi sunt.* in quo etiam illud erroneum est quod *ἀπαρνεῖσθαι animum despondere* vel *defatigatum esse* interpretati sunt. manifestum est viros doctissimos *ἀπαρνεῖσθαι* confudisse cum *ἀπειρηκέναι.* Sed *ἀπαρνεῖσθαι* nemo unquam alio quam *negandi*, *refugiendi* sensu dixit, ut ipse Callimachus fecit hoc ipso hymno vs. 76 *ἀπ᾽ ὧν ἠρνήσατο μάτηρ* et Del. 100 *Ἀχαιιάδες νιν ἀπηρνήσαντο πόληες.* Accurate rem considerantibus *interficiendi* vel *mactandi* verbum requiri apparebit; itaque fuit cum scripsisse poetam existimarem *ἀπηρήσαντο.* sed huius aoristi serioris aetatis scriptoribus valde usitati nullum extat ne apud Alexandrinos quidem exemplum. cf. Lobeckium ad Phrynichum p. 716. nec quidquam tribuendum Aristophanis loco in Thesmoph. 760 *τίς τὴν ἀγαπητὴν παῖδά σου 'ξηρήσατο*, de quo valde discrepant criticorum sententiae, in eo tamen nunc consentientium, grave subesse vitium. Enimvero scribendum est sine dubitatione id quod nuper edidi *τίς τὴν ἀγαπητὴν παῖδά σου διεχρήσατο*, cuius emendationis veritatem pluribus adstruam in Vindiciis Aristophaneis. Ad Callimachi versum ut redeam, mihi perquam probabile videtur verum esse id quod edidi:

ἤδη γὰρ ἀπηναρίσαντο μάγειροι.

Verbum *ἀπεναρίζειν* Homerum *spoliandi* sensu constat dixisse, at Hesiodus Scut. 194 dixit *ὡσεὶ ζωοὺς ἐναρίζων*. neque Homerica significatio ab h. l. aliena, ut sensus sit *iam enim stabula spoliarunt armentis.* ac nescio an id etiam praeferendum sit. Sequuntur statim haec:

καὶ τὰν βῶν ἔφαγεν, τὰν Ἑστίᾳ ἔτρεφε μάτηρ.

Vaccam Vestae sacrificium perhiberi novum mihi accidit, qui alias sues fere in hac re commemorari meminerim; hinc est quod Aristophanes Vesp. 844 *χοιροκομεῖον Ἑστίας* commemorat. add. Eupolis apud Athen. XIV p. 657 a *οὐκ ἀλλ' ἔθυον δέλφακ' ᾠδὸν* (?) *θηστίᾳ*, ut corrigere haec tentavi Fragm. Com. II p. 541. ne commemorem Hesychium *Κάθαρμα· τὸ χοιρίδιον, ᾧ τὴν ἑστίαν ἐκάθαιρον ἐν ταῖς ἐκτροπαῖς*, aliosque similia attestantes. non credo tamen, quod quis facile coniciat, *σῦν* scribendum esse.

117. 118.

Δάματερ, μὴ τῆνος ἐμὶν φίλος ὅς τοι ἀπεχθής
εἴη μηδ' ὁμότοιχος· ἐμοὶ κακογείτονες ἐχθροί.

Postrema verba *ἐμοὶ κακογείτονες ἐχθροί* ita vulgo intelliguntur, ut malos vicinos sibi odio esse poeta dicat. At vero *κακογείτων* non idem est ac *κακὸς γείτων*, et si vel maxime esset, hic ferendum esse negarem. Malum vicinum nominamus eum, qui qua vicinus suis erga vicinos officiis non satis facit; id vero ab h. l. plane alienum est. Sed ut dixi *κακογείτων* ex indole et ingenio graecae linguae nihil aliud significare potest quam *κακοῖς γείτων*, quo sensu etiam aperte legitur apud Sophoclem Philoct. 692. nam aliud huius compositi exemplum non extat. Excusat quidem Lobeckius Phryn. p. 601 *κακογείτων* apud Callimachum, sed subtimide excusat. Hesychii glossa *Παλαι-*

θέον· παλαιᾶς θεοῦ errore nata est. in Timonis Phliasii versu apud Diogenem Laert. VII 15 quid sit *λιχνόγραυς* nescio, hoc scio non esse pro *λίχνη γραῦς* dictum. Non dubitandum igitur est, quin poeta scripserit quod reposui:

ἐμὶν κακοδαίμονες ἐχθροί,

non ut infelices dicat, sed diis invisos, quae primaria est vocabuli huius significatio, recteque Hesychius *Κακοδαίμων· θεοῖς ἀπεχθής*. Ita enim scribendum pro *ἐπαχθής*. consimili modo *εὐδαίμων* proprie est qui diis propitiis utitur, cuius rei non memores fuerunt qui notissima verba Sophoclis Antig. 578 *εὐδαίμονες οἷσι κακῶν ἄγευστος αἰών* interpretantur *felices sunt qui a malis sunt immunes*, imo *diis cari*.

121. 123.

χὡς αἱ τὸν κάλαθον λευκότριχες ἵπποι ἄγοντι
τέσσαρες, ὣς ἀμῖν μεγάλα θεὸς εὐρυάνασσα —

Non ferendum putavi articulum *αἱ* interpositis verbis *τὸν κάλαθον* a substantivo suo sic ut hic factum est diremtum, scripsique eam ob causam *αἵ* hoc sensu, *quemadmodum qui equi calathum vehunt, quattuor sunt numero*. Cui simillimum est ad sententiam votique formam hoc in h. Homerico XXXIV 11 *ὡς δὲ τὰ μὲν τρία, σοὶ πάντως τριετηρίσιν αἰεὶ | ἄνθρωποι ῥέξουσι τεληέσσας ἑκατόμβας*. Sed articuli liberius positi quae fere afferri video exempla, eorum pleraque non probant id quod probare creduntur, velut notum illud Callimacheum Fragm. CXVII 2 *τὴν οἵ φασι τεκόντες*, ubi *οἱ* demonstrativi potius quam articuli vim habet. ita etiam defendere licebit Apollonium Argon. IV 1647 *αὐτὰρ ὁ τήν γε | λεπτὸς ὑμὴν ζωῆς ἔχε πείρατα καὶ θανάτοιο*, in quo loco olim coniecturam periclitatus sum audaciorem quidem, sed tamen ut tum mihi videbatur non

prorsus damnandam *ἀλλ' ἄρα τῷγε λεπτὸς ὑμήν.* at sufficit opinor hic quoque scribere *αὐτὰρ δ' τήν γε.* Singulare est quod in Sibyllinis Orac. XII 307 legitur *τὸν γὰρ δὴ δούλειον ὑπὸ ζυγὸν αὐχένα θήσει.* sed horum oraculorum scriptoribus quod licuit, non licuit etiam Callimacho.

Quae mox sequuntur verba *καὶ εἰς ἔτος ἄλλο φυλαξεῖ,* non sic sunt interpretanda cum Ernesto, ut auctumni, cuius praecessit memoria, copias dea in alium annum servare dicatur, sed sic 'felicia praesentis anni tempora etiam in posterum nobis praestabis'. itaque *εἰς ἔτος ἄλλο* poeta dixit ut fere dici solet *εἰς ὥραν, εἰς νέωτα.*

127. 128.

ὡς αἱ λικνοφόροι χρυσῶ πλέα λίκνα φέροντι,
ὣς ἁμὲς τὸν χρυσὸν ἀφειδέα πασαίμεσθα.

Sermonis concinnitas postulabat ut aut *χὡς αἱ* scriberetur aut *ὡς δ' αἱ.* cf. vs 124. altero versu *πασεύμεσθα* scribendum erat, quo tempore etiam vs. 123 et 125 poeta usus est. idem coniecerat Ernestus, sed male postea abiecit, non facturus opinor si scivisset, *πασεύμεσθα* manifesto in libro suo repperisse scholiastam Parisiensem, de quo in adnotatione critica admonui. Tum codices non *λίκνα* habent, sed *λεῖκνα*, neque hoc solum loco, sed etiam in h. in Iov. 45 et apud Hesychium, atque ubique fere ubi haec vox legitur, certissimo, ut mihi quidem videtur, indicio primam syllabam huius vocabuli Graecos porrexisse. quare genuina scriptura fuerit *λῖκνα*, neque ullus adhuc, mihi quidem, poetae locus inventus est, in quo *λίκνον* primam syllabam corripiat. Superest *χρυσῶ πλέα*, quod satis mire dictum est. In cistis quae recondita erant sacra ex auro facta fuisse nemo unquam memoriae prodidit, nec per se credibile est; ver-

benae inerant nativae variique generis fructus frugesve. Eam ob causam corruptelam loco inesse suspicor: non repperi tamen medelam sua se probabilitate commendantem. Conici possunt varia, e. c. *χρυσώδεα*, ad analogiam adiectivi *ἀργυρώδεα* formatum, vel *χρυσόχλοα*, ut vannus ex auro facta flavum auri colorem referre dicatur. *χλόος* enim in compositis Callimachus pro *χλωρός* dixit etiam h. in Del. 80 *ὑπόχλοον ἔσχε παρειήν*. ac *χλωρός* frequens est auri epitheton, ut in versu comico incerti auctoris apud schol. Aristophanis Plut. 204 *τί ποτ᾽ ἐστὶ χλωρὸν ἀντιβολῶ τὸ χρυσίον;* Sed haec omnia incerta sunt, ac fortasse recte rem expedivit scholiastes *περιεχρύσουν αὐτὰ* (*τὰ λῖκνα*), ut dicantur *auro obducta, aurata.* quamquam *πλέως*, *ὑπόπλεως*, *πληροῦσθαι* et similia ad *colorandi* significatum translata fere in malam partem dicuntur pro *commaculari.* v. Ruhnkenium ad Timaeum p. 30.

129—134.

μέσφα τὰ τᾶς πόλιος πρυτανήια τὰς ἀτελέστως,
τὰς δὲ τελεσφορίας· ποτὶ τὰν θεῦν ἄχρις ὁμαρτεῖν,
αἵτινες ἑξήκοντα κατώτεραι· αἱ δὲ βαρεῖαι
χἄτις Ἐλειθυίᾳ τείνει χέρα χἄτις ἐν ἄλγει,
ὡς ἅλις, ὡς αὐτᾶν ἱκανὸν γόνυ· ταῖσι δὲ Δηώ
δωσεῖ πάντ᾽ ἐπίμεστα καὶ ὡς ποτὶ νηὸν ἵκωνται.

Non recte haec procedere qui animadvertit Ernestus, omnem loci difficultatem eo removeri putavit, si *τᾶσδε τελεσφορίας* scribatur idque cum *ἀτελέστως* coniungatur, *non initiatas his mysteriis.* praeivit hanc rationem Vulcanius scholiasten antestatus, cuius haec est adnotatio: *τὰς μὲν ἀμυήτους κελεύω μέχρι τοῦ πρυτανείου παραγενέσθαι· αἵτινες δέ εἰσιν ἑξήκοντα ἐνιαυτῶν ἢ καὶ πλειόνων, ταύτας κελεύω κατὰ τὸ δυνατὸν*

ἀκολουθῆσαι τῷ καλάθῳ. Verumenimvero, ut omittam post *ἀτελέστως* praeter necessitatem addi *τᾶσδε τελεσφορίας*, quibus verbis sententia moleste oneratur, quis non videt profanis nullo pacto opponi posse sexagenarias? quod vel solum eiusmodi est, ut totam hanc rationem evertat. At frustra explicantur quae corrupta sunt. Callimachus enim sine dubio scripserat:

μέσφα τὰ τᾶς πόλιος πρυτανήια τὰς ἀτελέστως,
τὰς δὲ τελεσσιφόρως ποτὶ τὰν θεὸν ἄχρις ὁμαρτεῖν,
αἵτινες ἑξήκοντα κατώτεραι.

Vides iam optime omnia procedere. primum commemorat profanas, quibus non licitum est aedem deae intrare, sed tantum usque ad prytaneum pompam comitari. tum de initiatis dicit, quarum quae sexagesimum aetatis annum nondum superarunt, eas ad deam ipsam accedere templumque intrare licet, quae autem membrorum gravitate tardantur vel quae gravidae et luctu afflictae sunt, eas eo usque sequi satis est quo usque genua earum patiuntur. recte *ἑξήκοντα κατώτεραι* dixit, ab hoc enim anno fere grandiorem aetatem numeratam esse docet Amphis apud Athen. II p. 69 b et Menander Heautont. I 2. nominis *τελεσσίφορος* aliud sane exemplum mihi in promptu non est, sed rectissime formatum esse docet magna similiter compositorum multitudo *κηρεσσιφόρητος*, *μακεσίκρανος*, aliorum. Mutatio ipsa facillima est constatque, si recte rem putare volumus, unius literae *ι* transpositione; nam postrema syllaba *ας* ex *ως* corrupta est eodem vitii genere, quo pro *ἀτελέστως* in libris *ἀτελέστας* scriptum est. Sed nondum omnes loci scopulos evasimus. obscura enim et corrupta etiam sequentia sunt:

ταῖσι δὲ Δηὼ
δωσεῖ πάντ' ἐπίμεστα καὶ ὥς ποτὶ νηὸν ἵκωνται.

quorum postrema minime concordant cum supra dictis, ubi eas-

dem has feminas adeo viribus defecisse poeta dixerat, ut templum adsequi nequirent. Neque ἐπίμεστα ad sententiam aptum est. ἐπίμεστα πλουτεῖν et similia de iis dicitur, qui largo agrorum proventu ditescunt, quod quamquam etiam hisce feminis in voto fuerit, hoc tamen loco commemorari ideo minus aptum est, quoniam debiles feminas gravidasque et doloribus oppressas ante omnia id optare et precari a dea consentaneum erat, ut praesentibus malis liberarentur. quare poetam scripsisse existimavi δωσεῖ πάντ' ἐπίθεστα καὶ ὥς ποτε (ποκα) νηὸν ἵκωνται, i. e. omnia quorum compotes fieri cupiunt iis impertiet, dabitque, ut quibus nunc tenentur malis levatae aliquando tandem templum adire queant. de ποκά *aliquando tandem* v. Heindorfium ad Platonis Phaed. p. 314 e. Adiectiva a verbo θέσσασθαι formata Alexandrinis poetis sunt usitatissima. ipse Callimachus in huius hymni vs. 48 τέκνον πολύθεστε γονεῦσιν dixit, i. e. πολυπόθητε, πολύευκτε, et Fragm. CCCII δύην ἀπόθεστον, atque Lycophro Alex. 540 δεινὰ κἀπόθεστα i. e. ἄπευκτα coniunxit.

Haec mea de impeditissimo loco sententia est, iam olim a me in Fleckeisenii Annal. Phil. et Paed. 1860 p. 48 iisdem propemodum verbis perscripta; nec mutandae sententiae causam video postquam Schneideri de eodem loco disputationem legi Philologo Gott. vol. VI p. 555 sqq. insertam. Nolo nunc singula persequi; quod autem in ἑξήκοντα offendit vir doctissimus, idque omisso ἐτῶν recte dici negat, qua in re Hermanni et Bergkii consensu se confirmatum esse scribit, eamque ob rem versum intercidisse existimat, non credo eam iustam offensionis causam esse. in tali re quod recentioribus linguis licet, licuit etiam graecae, ac cum ipse concesserit recte dici in graeco sermone πόσα γέγονας, neque unquam dubitatum sit quin recte *sexage-*

narius dicatur qui sexaginta annos natus est, non assequor cur is qui sexaginta annis minor est non recte dicatur *ἑξήκοντα κατώτερος*. In syntactica structura verborum *καὶ ὥς ποκα νηὸν ἔχωνται* nihil difficultatis est. vs. 130 idem vir doctus reiecit quam ego Naekii Opusc. II p. 104 exemplum secutus recipiendam duxi cod. Ven. scripturam *θεόν*, cuius loco reliqui *θεῦν* habent. *θεός* in hac versus parte legitur vs. 122 et in initio versus, ubi pariter doricam formam metrum admittebat, Lav. Pall. 137 *τὰν θεόν*. at *θεῦς* dixit vs. 58 et in Fragm. apud Bekkerum AG. p. 1231, 5, ubi alteram formam versus respuebat. quo minus *θεόν* hoc loco reponere dubitavi, ubi lex de spondeo in quarto pede hexametri a Callimacho observata eam poscebat. perpaucis enim locis hanc legem migravit poeta, qua de re optime disputavit Naekius. in Fragm. CVI 3 rectissime *παρὰ χρέος* scribens pro *παραχρῆμα*. itaque duo tantum loci restant Del. 226 *ἀμύνειν πότνια δούλοις* et Dian. 7 *ἵνα μή μοι Φοῖβος ἐρίζῃ*, quorum primum scite defendit Naekius, qui suo iure ne verbo quidem tales versus memoravit qualis e. c. hic est Lav. Pall. 85 *τί μοι τὸν κῶρον ἔρεξας*, in quo articulus cum nomine suo unius vocis vicem explet, eademque omnium exemplorum a Schneidero collectorum est ratio. Causa vero illius legis non longe quaerenda est*). nimirum displicebat talium versuum structura, quorum incessus taediosis subtilis poetae auribus iusto tardior accidebat; iniuria qui-

*) Cognata cum hac quaestione est illa de caesura trochaica in quarto pede hexametri, quam Heckerus Comment. de Anthol. ed. pr. p. 75 incaute intulit in fragm. apud schol. Ven. ad Il. 23, 56 *ὃ δ' ἐκ Λοκρῶν τείχεος Ἰταλικοῦ | παρῆν ἀμύντωρ*. quod nulla eget mutatione. lyrici enim carminis particula est, e strophis compositi, in quibus pentametro dactylico subiectus erat iambicus trimeter, nisi distinguere praestat *ὃ δ' ἐκ Λοκρῶν | τείχεος Ἰταλικοῦ παρῆν ἀμύντωρ*, ut trimetrum iambicum exceperit versus logaoedicus.

dem. sed illius aetatis poetae hunc morbum habebant; placebant sibi in legibus inveniendis, quarum severa observatio cum magno labore coniuncta esset, scilicet ne ἀνιδρωτί Musarum scopulos superasse viderentur. quantum distat ab horum obscura diligentia liberalis illa antiquorum poetarum ars, qui quas sibi in versibus conformandis leges sequendas putarunt, subtilissimas sane et artificiosissimas, earum nulla erat quin numerorum vel elegantiae vel magnificentiae mirum in modum consuleret.

136—138.

φέρε δ' ἀγρόθι νόστιμα πάντα.
φέρβε βόας, φέρε μᾶλα, φέρε στάχυν, οἶσε θερισμόν·
φέρβε καὶ εἰράναν, ἵν' ὃς ἄροσε κεῖνος ἀμάσῃ.

Horum verborum priora ita intelligi video *ex agris fer matura omnia.* at non ἀγρόθε legitur, sed ἀγρόθι, nec in libris tantum sed etiam apud Etym. M. p. 390, 42. nihilominus hic aliquid vitii haerere mihi persuasum est, scribendumque arbitror aut φέρε δ' ἀγρόθε, aut corrigendum φέρβ' ἀγρόθι νόστιμα πάντα, i. e. *nutri omnia in agris ut maturescant.* Hesychius Νόστιμος. σωτήριος. ita enim recte Schowius emendavit cod. lectionem σώριος, male a Musuro in ὥριμος mutatam. In sequente versu βόες non boum armenta interpretor, quae non sunt in Cereris tutela, sed boves intelligo aratores. tum pro φέρε μᾶλα Briggsius ad Theocritum XV 105 eleganter coniecit καλὰ φέρβε cll. Iov. 55 καλὰ μὲν ἠέξευ καλὰ δ' ἔτραφες, favetque huius emendationi quodammodo librorum dissensus in adnotatione critica indicatus. tueri tamen videtur librorum scripturam Cereris epitheton μαλοφόρος, de quo haec leguntur apud Pausaniam I 44, 4 ἐς δὲ τὸ ἐπίνειον, καλούμενον καὶ ἐς ἡμᾶς ἔτι Νίσαιαν, ἐς τοῦτο κατελθοῦσιν ἱερὸν Δήμητρός ἐστι Μαλοφό-

ϱον. λέγεται δὲ καὶ ἄλλα ἐς τὴν ἐπίκλησιν καὶ τοὺς πρώτους πρόβατα ἐν τῇ γῇ θρέψαντας Δήμητρα ὀνομάσαι Μαλοφόρον. Hi igitur Cereri pecorum curam mandatam fuisse existimabant, quod sane novum est nec ab aliis traditum; non repugno tamen quominus vera tradidisse existimentur, modo memineris, hoc munus deam habuisse vel habere creditam esse apud solos Megarenses, ut nihil inde ad explicandum Callimachi locum proficias. Quare erunt fortasse qui μᾶλα de pomis intelligere malint, in qua sententia cum alios esse video tum Ernestum. at ne poma quidem in Cereris tutela erant, non magis quam vites vel olivae vel ficus, quamvis sciam fici genetricem Cererem perhiberi in epigrammate apud Pausan. I 37, 2. apparet ex his magnae dubitationi obnoxiam esse vulgatam loci scripturam, ac nescio an probandum sit vel quod Briggsio visum est, vel quod ipse Briggsio viam monstrante conieci: φέρβε βόας, μάλα φέρβε.

In ultimo versu pro κεῖνος piget non reddidisse poetae quod certissime scripsit τῆνος, qua forma usus est etiam 12. 117. Quod enim de dialecto sequentis carminis ad vs. 113 dixi, idem de huius hymni dialecto statuendum est, cuius inconstantiam non poetae, sed librariorum temeritati imputandam arbitror. Itaque ὄκα et τόκα, quae pluribus locis in omnibus codd. leguntur, etiam iis locis reponenda existimo, ubi libri vulgares formas exhibent; porro 60 ἀμιθνῆτες scribendum, 76 ἀρνήσατο, ut alia eiusdem generis omittam; fortasse etiam 34 ἐείκατι cum Blomfieldo, 122 τέττορες et 139 ἔλλαθι, quod vel in elegiaco carmine usurpavit poeta (cf. Diatr. ad Del. 248); quo minus dubitandum videtur, quin id ne hic quidem in dorico carmine aspernatus sit, praesertim cum in eodem hoc carmine formam posuerit mere aeolicam πώνω pro πίνω, de qua ad vs. 96 di-

ctum est. *μῶνος*, in quo libri vs. 8 consentire videntur, an *μοῦνος* scripserit poeta non certo mihi constat, sed credo recte Ernestum ubique *μῶνος* praetulisse. cf. adnotationem criticam ad Lav. Pall. 132. at *πωλυμέδιμνος*, quod ad vs. 120 attigi, reicio, reiciamque dum certo exemplo omnis de hac forma dubitatio sublata fuerit. nec magis probaverim si quis 134 *ναόν* restitutum eat, quae forma cum Callimachi aetate in communem loquendi consuetudinem abiisset, consulto ionica, sive potius poetica forma usus est etsi a dorismo aliena: tales enim formae Alexandrinis poetis non tam dialecticae erant quam poeticae.

AD LAVACRUM PALLADIS.

21. 22.

οὐδ᾽ Ἥρα· Κύπρις δὲ διαυγέα χαλκὸν ἑλοῖσα
πολλάκι τὰν αὐτὰν δὶς μετέθηκε κόμαν.

Male vulgo post ἑλοῖσα commate distingunt. at cum πολλάκι non bene coeat cum δίς, ne sublato quidem commate rem optime procedere sentiet, qui paulo intentius verba inspiciat: *plus semel speculum capiebat Venus, et quotiescunque capiebat, bis eandem comam disponebat.* quorsum enim *bis*? crediderim satis fuisse dici, identidem speculo usam esse, et quoties uteretur aliter comas posuisse. et ita intellexit haec qui expressit Callimachum Tibullus El. 18, 10 *quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos, saepeque mutatas disposuisse comas*? noli tamen existimare me locum de vitio suspectum habere; omnia rectissime dicta sunt, modo πολλάκις in eum sensum capias, quem explicui Diatr. ad Cer. 96. latine haec vix bene reddi possunt, at nostra lingua non male dixeris *sie ordnete wohl zweimal ihr Haar.* Quod speculum διαυγέα χαλκόν dixit, in eo imitatorem nactus est Nonnum, cuius locos apposuit Ruhnkenius Epist. crit. II p. 165. Callimachum etiam Philetas Samius Anth. Pal. VI 202 secutus est.

Ceterum totam hanc scenam Callimachus ex Sophoclea fabula, cui Κρίσις nomen, adumbravit. Athenaeus XV p. 587 e Σοφοκλῆς δ᾽ ὁ ποιητὴς ἐν Κρίσει τῷ δράματι τὴν μὲν

Ἀφροδίτην μύρῳ τε ἀλειφομένην παράγει καὶ κατοπτριζομένην, τὴν δ' Ἀθηνᾶν ἐλαίῳ χριομένην καὶ γυμναζομένην. Quae si quis cum Callimacheis comparet, Sophoclem rem ita instituisse intelliget, ut Palladem centies vicies stadium decurrisse diceret, in chorico opinor carmine, cuius particula fortasse servata est Fragm. 712 *μύρῳ λευγαλέα.* eidem poetae deberi videtur comparatio ruboris Minervae cum rosa matutina et flore mali punici.

25.

ἀστέρες, ἐμπεράμως ἐτρίψατο λιτὰ λαβοῖσα —

Aliud est *τρίβειν χρῖμα* vel *μύρον*, aliud *ἐντρίβεσθαι*, illud est *terere*, *macerare*, *subigere*, alterum *inungui.* itaque *ἐτρίψατο* non minus inepte dictum est, quam si quis vel latine *trivit sibi unguentum* diceret pro *intrivit*, vel nostra lingua *reiben* pro *einreiben.* Quocirca *ἐνετρίψατο* restitui, quod etiam Antiphani apud Clementem Alex. Paed. III p. 218 *σμῆται, κτενίζετ', ἐκβέβηκ', ἐντρίβεται* reddidi in Fragm. Com. III p. 82. vulgo apud Clementem legitur *ἐκβέβηκε τρίβεται.* errat Cobetus NL. p. 341 mendum hoc me fugisse dicens*).

27. 28.

ὦ κῶραι, τὸ δ' ἔρευθος ἀνέδραμε, πρώιον οἵαν
ἢ ῥόδον ἢ σίβδας κόκκος ἔχει χροΐαν.

Pro *ἀνέδραμε* si cod. offerret *ἐπέδραμε* lubenter amplecterer. recte dicitur e. c. arbor *ἀνατρέχειν*, quippe ex sinu agri quasi exsurgens et in altum crescens, recte etiam homines dici possunt *ἀνηβᾶν*, cui item notio in altum crescendi subiecta est; ru-

*) Nimirum in minore editione Comicorum, qua Cobetus usus est, me invito excidit quam in maiore feceram emendatio certissima.

38.

ὅς ποκα βουλευτὸν γνοὺς ἐπί οἱ θάνατον —

In his *βουλευτὸν θάνατον* explicant *decretam mortem*, quod subdubito an recte dictum sit, et si recte dictum est, valde tamen friget ad meum quidem sensum. Quare *ὅς ποκ' ἀβούλευτον* scribendum arbitror, et *θάνατον ἀβούλευτον* explico de caede *δυσβούλῳ* vel *κακοβούλῳ*, *indigne excogitata*, quod *αἰσχρῶς βουλευτόν* dicitur Aeschylo Choeph. 487 *αἰσχρῶς τε βουλευτοῖσιν ἐν καλύμμασιν.* Vocem finxi ad similitudinem Sophoclei *ἀνύμφευτον γονάν* i. e. *ἄνυμφον.*

40. 41.

ᾤχετ' ἔχων, Κρεῖον δ' εἰς ὄρος ᾠκίσατο,
Κρεῖον ὄρος· σὲ δέ, δαῖμον, ἀπορρώγεσσιν ἔθηκεν
ἐν πέτραις, αἷς νῦν οὔνομα Παλλατίδες.

Ruhnkenius Epist. cr. II p. 164 poetas anaphorae figura utentes hanc constanter legem tenuisse sibi persuasit, ut ne unam quidem literam sibi in repetitis verbis immutare concesserint. quam ob causam in *Κρεῖον ὄρος* ulcus latere existimat. non credo quidquam mutandum esse. ac iam Homerus dixit Il. ζ 395 *θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἠετίωνος, | Ἠετίων ὃς ἔναιε.* θ 527 *κύνας κηρεσσιφορήτους, | οὓς κῆρες φορέουσι.* φ 85 *θυγάτηρ Ἄλταο γέροντος, | Ἄλτεω ὃς Λελέγεσσι φιλοπτολέμοισιν ἀνάσσει.* cf. Dionysius Per. 380 *μέσσῳ' Ὑρίοιο, | παραλίης Ὑρίου, ὅθι σύρεται Ἀδριὰς ἅλμη.* sic enim haec distinguenda sunt. praeterea sinceritatem editae scripturae adstruit imitatio Gregorii Naz. Psalm. LXVI *ὄρος μάλα πῖον ἐτύχθη, πῖον ὄρος.* quo loco usus est Naekius Opusc. II p. 59. Iustiorem dubitandi causam habent petrae illae *Παλλατίδες,*

quae mirifica forma est et contra omnem analogiam ficta, nisi forte doceri potest, praeter *Παλλάς Παλλάδος*, etiam paroxytonam huius nominis formam *Πάλλας Πάλλατος* in usu fuisse, ut *Θέμις Θέμιτος*, *Ἄρτεμις Ἀρτέμιτος*. Sed talis formae nullum usquam vestigium est. Quod autem Dindorfius ad Stephani Thesaurum vol. VI p. 104 existimat, *Παλλατίδες* poetam metro coactum dixisse pro *Παλλαντιάδες*, nullam habet veri speciem; neque in geographico nomine a recepto usu poetam recessisse probabile est, praesertim cum expressim addat hoc nunc illius saxi nomen esse. Multo mihi credibilius videtur Callimachum aut *Παλλαδίαις* scripsisse, quod exacte ad leges etymologicas formatum est, aut *Παλλασίδες*. a *Παλλάς* nomine recte formatur *Παλλαδίς*, ut *Ἀρκαδίς* ab *Ἀρκάς*. quem ad modum autem patronymicae formae ab *Ἀρκάς* derivatae non erant *Ἀρκαδίδαι* et *Ἀρκαδίδες*, sed *Ἀρκασίδαι* et *Ἀρκασίδες* (v. Stephanus Byz. p. 120, 15), ita Argivos etiam a *Παλλάς* non *Παλλαδίδες*, sed *Παλλασίδες* dixisse suspicari licet.

45. 46.

σάμερον ὑδροφόροι μὴ βάπτετε· σάμερον Ἄργος
πίνετ' ἀπὸ κρανᾶν, μὴ δ' ἀπὸ τῶν ποταμῶν.

Haud pauca his insunt, quae iustam dubitandi causam subiciunt. ac primum plurali *τῶν ποταμῶν* nullum hic locum esse non modo res ipsa ostendit, sed etiam ex sequentibus intelligitur *καὶ γὰρ δή . . . ἥξεῖ φορβαίων Ἴναχος ἐξ ὀρέων*, quae luculenter ostendunt non de aliis Argolidis fluviis poetam loqui posse, sed de uno Inacho. Scribendum igitur erat *τῶ ποταμῶ*, quod etiam Heckerum vidisse in adnotatione indicatum est. neque mirum est Inachum per excellentiam dici *τὸν ποταμόν*. ad magnam enim

bone VI p. 262 aliisque tradita*). denique ad idem verbum revocanda sunt νηρεύς, νηρεΐδες, νηρός. Hesychius Νηρόν· ταπεινόν. leg. ὑδατεινόν. Ex his intelligitur recte Hesychium νῆμα explicuisse per ὕδωρ, neque errorem subesse glossographi, quae novissimi editoris sententia est.

49. 50.

καὶ γὰρ δὴ χρυσῷ τε καὶ ἄνθεσιν ὕδατα μίξας
ἥξεῖ φορβαίων Ἴναχος ἐξ ὀρέων.

Φορβαῖα ὄρη pascuis abundantia praeeunte Anna Fabri interpretantur viri docti, neque impedio, quamquam nullum huius adiectivi exemplum est, atque aliquid exquisitius latere credo. Editio Ven. a. 1555 pro *φορβαίων* memorabili varietate habet *φωκαίων*, in quo fuit cum *Φωκιακῶν* vel *Φωκείων* latere suspicarer. De Inachi fontibus portenta constat narrasse veteres, quos cum alii ex rerum fide ad Argivos montes referrent, extitere alii qui Inachum in Pindo monte oriri et subter Corinthiacum sinum caeco itinere lapsum in Argis emergere fabularentur. vide Strabonem VI p. 271. Nequaquam igitur mirandum esset, si alii rursus fontes eius in Phocicis montibus posuissent; hos sequi potuit Callimachus mirabilium rerum amantissimus, ut qui e. c. Del. 71 Inopum *Aegyptium* appellet propterea quod multorum illa aetate opinio erat, Nilum occulto meatu aquas suas cum Inopi fontibus miscere. *Φώκειος* aliunde quidem non cognitum est, at ex graeco poeta sine dubio sumpsit Ovidius Trist. I 5, 21 *ut foret exemplum veri Phoceus* (Pylades) *amoris*, et Metam. XI 348

*) De terminatione *αιθος* Italis Siculisque frequentata dixi ad Theocritum IV 46. adde *Σάλαιθος* nomen Crotoniatae apud Lucianum Apol. 4 et *Κομαίθα* ex Hesychio *Κομαίθα· ἡ τυχοῦσα γυνή*. quae haud dubie Sicula glossa est.

Phoceus Anetor (*Onetor*?). sed incerta tamen illa coniectura est; ac possunt etiam alia conici, velut *Λυρκείων*. in his enim montibus sive potius in ea Lyrcei montis parte quae *Ἀρτεμίσιον* dicta erat (Pausan. VIII 6, 6) revera Inachus oritur, unde anonymus poeta apud Stephanum Byzantium p. 423, 2 eum *Λυρκήιον ὕδωρ* nominavit. At quis praestet eosdem hos montes non etiam *Φορβαῖα ὄρη* vel dictos esse vel dici a docto poeta potuisse, a Phorbante seu Phorba*) Argivorum rege (Pausan. II 16, 1) nominatos? Schneidero Phil. Gott. IV p. 507 *φορβάμων* scribendum videbatur, quod ideo displicet quoniam *ὀρέων* non bene sine epitheto est. Quod autem auro et floribus Inachum fluere dicit poeta, fortasse eo referendum est quod corollas auro nexas in flumen immittebant: pro deo enim Inachus colebatur. nisi poeticum figmentum esse dicas simile illi, quo Alcaeus praesente deo Castaliam argenteos vortices volvere cecinit apud Himerium Orat. XIV 10, vel quo ipse Callimachus Del. 263 Apolline nascente dixit *χρυσῷ δ' ἐπλήμμυρε βαθὺς Ἰνωπὸς ἑλιχθείς*. cf. Valckenarius ad Hippol. p. 185 d. Non pertinet huc allatus a Blomfieldo Moschi locus VII 3, ubi Alpheus Arethusae *καλὰ φύλλα καὶ ἄνθεα καὶ κόνιν ἱράν* pro nuptiali dote afferre dicitur, quippe ex Elide veniens et Olympicorum ludorum insignia secum vehens.

61—64.

ἢ 'πὶ Κορωνείας, ἢ εἰς Ἁλίαρτον ἐλαύνοι
ἵππως Βοιωτῶν ἔργα διερχομένα,

---

*) Parisyllabae formae exemplum aliunde quidem mihi non innotuit, at cum *Φόρβος* idem nomen sit, nulla causa est cur etiam *Φόρβας, ου*, recte dictum negetur.

rum de duobus distichis id quod maxime ei placiturum esset*). Atque ad eandem rationem etiam alios Callimachi locos de interpolatione suspectos critici expedire potuerunt. Verumenimvero qui hanc sententiam sequi volent, ante omnia docere debebunt, Callimachi carmina imperfecta ex poetae scrinio exiisse; cuius rei cum nullum indicium neque aliunde neque ex ipsis carminibus afferri possit, priorem quam indicavi viam insistendam esse apparet. atque ut breviter quod sentio dicam, mihi qui eiusmodi versus in interpolationis suspicionem vocant, ad Callimacheum dicendi colorem non satis videntur attendisse, cuius haec est proprietas, ut saepe eandem sententiam vel iisdem propemodum verbis repetat, vel oratione paululum tantummodo mutata dilatare soleat. ut nondum poeniteat iudicii multos ante annos ad Euphorionis fragmenta lati, Callimachum in summa brevitate videri loquacissimum. ac habet haec loquacitas praesertim in hoc exili poesios genere multum venustatis, ut prorsus Cunaeo assentiar ad Nonnum p. 15 de toto hoc genere scite disserenti et singulare quoddam artificium in dilogia huius, de quo dicimus loco, agnoscenti: *nihil felicius est,* inquit, *nihil quod magis admiremur. et tamen hoc ipsum in alio quodam charactere culpandum esset nec defendi a quoquam posset.* Ac ne quid dubitationis relinquatur de utriusque distichi γνησιότητι, afferam aliud e Callimacho huius tautologiae exemplum ei quod cummaxime tractamus tam simile, ut ovum ovo non esse possit similius. dico Epigramma LXIII.

οὕτως ὑπνώσαις, Κωνώπιον, ὡς ἐμὲ ποιεῖς
κοιμᾶσθαι ψυχροῖς τοῖσδε παρὰ προθύροις.

---

*) Non multum distat ab hac opinione Bergkii de duabus hymnorum editionibus sententia, quam cum Schneidero per literas communicavit. v. Philol. VI p. 551. et quae dixi p. 255.

οὕτως ὑπνώσαις, ἀδικωτάτη, ὡς τὸν ἐραστήν
κοιμίζεις, ἐλέον δ' οὐδ' ὄναρ ἠντίασας.
γείτονες οἰκτείρουσι· σὺ δ' οὐδ' ὄναρ.

Habes in his *οὕτως ὑπνώσαις ὡς ἐμὲ ποιεῖς κοιμᾶσθαι* et *οὕτως ὑπνώσαις ὡς τὸν ἐραστὴν κοιμίζεις* sine ulla sententiae diversitate composita, eademque sequentium est ratio *ἐλέον δ' οὐδ' ὄναρ ἠντίασας* et *σὺ δ' οὐδ' ὄναρ οἰκτείρεις*. quae consimili ubertate dicta sunt atque illud Theognidis Eleg. 351, nam huius quoque poetae eadem est dictionis proprietas, ab epigrammatico eius poesios charactere repetenda. Theognis igitur l. l. haec habet:

ἆ δειλὴ πενίη, τί μ' ὀκνεῖς προλιποῦσα παρ' ἄλλον
ἄνδρ' ἰέναι; μὴ δή μ' οὐκ ἐθέλοντα φίλει.
ἀλλ' ἴθι καὶ δόμον ἄλλον ἐποίχεο, μηδὲ μεθ' ἡμέων
αἰεὶ δυστήνου τοῦδε βίου μέτεχε.

(ita enim scribendum pro *τί μένεις προλιποῦσα.*) ac magis etiam 873.

οἶνε τὰ μέν σ' αἰνῶ τὰ δὲ μέμφομαι, οὐδέ σε πάμπαν
οὔτε ποτ' ἐχθαίρειν οὔτε φιλεῖν δύναμαι.
ἐσθλὸν καὶ κακόν ἐσσι.

apud Callimachum praeterea similem orationis abundantiam agnosco Epigr. XLVI 5—8. et in hoc ipso carmine post ea quae vs. 140 habes verba *χαῖρε θεά, κάδευ δ' Ἄργεος Ἰναχίω*, nihil novi statim in sequentibus infertur *χαῖρε — καὶ Δαναῶν κλᾶρον ἅπαντα σάω.* nec multum differunt haec in h. in Iov. 92:

δῶτορ ἀπημονίης. τεὰ δ' ἔργματα τίς κεν ἀείδοι;
οὐ γένετ', οὐκ ἔσται. τίς κεν Διὸς ἔργματ' ἀείδοι;

In quo miror non haesisse Ruhnkenium, talium repetitionum expulsorem acerrimum, qui vir cum magna et merita cultissimi iudicii laude floreret, in Callimacho tamen vix dici potest quanta

temeritate, cum falsam de huius poetae dictione imaginem animo concepisset, in sanissimos versus grassatus sit, suoque exemplo etiam alios ad eandem temeritatem abripuerit. exemplo sit (nam de ceteris sigillatim dictum est) locus hymni in Apollinem in quo inde a versu 25 haec leguntur:

κακὸν μακάρεσσιν ἐρίζειν.
ὃς μάχεται μακάρεσσιν, ἐμῷ βασιλῆι μάχοιτο.
ὅστις ἐμῷ βασιλῆι καὶ Ἀπόλλωνι μάχοιτο.

Horum versuum qui ultimus est, cum in cod. Ven. propter *ὁμοιοτέλευτον* excidisset, Ruhnkenius tanquam spurium damnavit, quem ita secutus est Blomfieldus, ut iam nullum eius vestigium supersit. quae pessima est critices factitandae ratio. atqui hunc versum qui tollunt, Callimachum e Callimacho tollunt. Taceo de aliis, praesertim cum rectiora de plerisque docuerit iam dudum Naekius pluribus locis Opusculorum.

Cognatum cum hoc genere loquacitatis est illud quod graviter in nostro poeta notat Lucianus de scrib. hist. 57 *οἷον ὁρᾷς τι καὶ Ὅμηρος ὡς μεγαλόφρων ποιεῖ, καί τοι ποιητὴς ὤν· παραθεῖ τὸν Τάνταλον καὶ τὸν Ἰξίονα καὶ Τιτυὸν καὶ τοὺς ἄλλους· εἰ δὲ Παρθένιος ἢ Εὐφορίων ἢ Καλλίμαχος ἔλεγε, πόσοις ἂν οἴει ἔπεσι τὸ ὕδωρ ἄχρι πρὸς τὸ χεῖλος τοῦ Ταντάλου ἤγαγεν, εἶτα πόσοις ἂν Ἰξίονα ἐκύλισεν;* Luculentum vitii a Luciano notati exemplum repperisse mihi videor h. in Cererem, ubi postquam parentes Erysichthonis quovis praetextu cavisse dixit idque per decem versus persecutus est, ne filius conviviis amicorum adhiberetur, inde ab vs. 84 idem argumentum retractat novisque exemplis illustrat. qui locus item ita comparatus est, ut salvo nexu aut vs. 73—83 aut 84—87 omitti possint, mirorque nondum extitisse qui alterutram partem eiectum iret.

79.

τὸν δὲ χολωσαμένα περ ὅμως προσέφασεν Ἀθάνα.

Erat cum non satis intelligerem quid voluerit sibi poeta, cum dicit, quamvis iratam deam *nihilo tamen minus* Tiresiam allocutam esse, quasi qui ira excandescunt, silere soleant iramque abscondant. itaque errorem subesse putabam particulis *περ ὅμως*, earumque in locum reponendum esse coniciebam *σπερχνῶς*. nunc nihil novandum intelligo; quippe dea quantumvis irata, tamen sermone dignatur Tiresiam, non factura, nisi eam infelicis iuvenis misereret.

83. 84.

ἐστάθη δ' ἄφθογγος· ἐκόλλασαν γὰρ ἀνῖαι
γώνατα, καὶ φωνὰν ἔσχεν ἀμαχανία.

Rectissime Heckerus Callim. Comment. p. 140 intellexit *ἐστάθη*, quod mediam syllabam corripit, a poeta scribi non potuisse. Quod autem vitium loci tolli posse existimat scribendo *ἔστα δὴν ἄφθογγος*, non cogitavit id ita tantum recte dictum fore, si postea Tiresiam poeta loquentem induxisset; atqui is nihil respondet. Multo rectius igitur haud dubie Buttmannus Gramm. gr. II p. 209 correxit *ἑστάκη δ' ἄφθογγος*, favetque huic coniecturae quodammodo cod. Par. in quo *ἑστάθη* scriptum est. Fortasse tamen praeferendum est quod ego unius lineolae adiectu edidi:

ἔστα θὴν ἄφθογγος· ἐκόλλασαν γὰρ ἀνῖαι —

neque alienum esse doricum sermonem ab usu particulae *θήν*, ostendit Epicharmus apud Diogenem Laert. III 16 *ὄνος δ' ὄνῳ κάλλιστον, ὗς δὲ θὴν ὑΐ.* idem apud Athenaeum II p. 59 c *ὑγιέστερόν τ' ἦν ἔτι κολοκύντας πολύ.* ita in libris est, corrige

ὑγιέστερος θήν ἐστι κολοκύντας πολύ. Callimacho eandem restituit Brunckius in Epigr. XXXII 3 *ἀλγέω θὴν διὰ παντὸς ἔπος τόδε πικρὸν ἀκούων.* recte hanc particulam explicat Hesychius *Οὐ θήν· οὐ μήν, οὐ διὰ παντός.*

93—95.

ἁ μὲν ἐπ' ἀμφοτέραισι φίλον περὶ παῖδα λαβοῖσα
μάτηρ μὲν γοερᾶν οἶτον ἀηδονίδων
ἆγε βαρὺ κλαίοισα. θεὰ δ' ἐλέησεν ἑταίραν.

Haec verba varie critici tentarunt, nihil tamen adhuc allatum vidi, quod ex omni parte probari possit. praepositio *ἐπ'* ante *ἀμφοτέραισι* scioli est commentum hiantem versum utcumque resarcire conantis; ac deest in codd. Vind. Ven. Par. omittunt item Polit. Lasc. nec dubito quin etiam in ceteris codd. desit. Ruhnkenii commenta omitto. Valckenarius autem ad Adoniaz. p. 309 tentabat *πάχεσιν ἀμφοτέροισι φίλον*, in quo merito desideres copulam, ut nullius usus sit ad sustentandam doctissimi viri coniecturam locus Nonni Dion. XXXVII 587 *πάχεσιν ἀμφοτέροισι μεσαίτατον ἄνδρα κομίζων* a Naekio Opusc. I p. 230 indicatus, recte et ipso istam coniecturam improbante. Blomfieldus edidit *εἶπε καὶ ἀμφοτέραισι*, quae certe graeca oratio est, quod non dixerim de conatu Schneideri qui Phil. Gott. VI p. 517 coniecit *ἃ μὲν ἄμ' ἀμφοτέραισι*, quamquam *ἄμ'* recte inseruit, quod ego quoque restitui in Fleckeisenii Annal. Philol. et Paed. 1860 p. 59, ubi conieci *φᾶ καὶ ἄμ' ἀμφοτέραισι*, cui nunc praetuli *φᾶ μέν, ἄμ' ἀμφοτέραις δέ.* in quo si cui displiceat particula *δέ* secundae voci subiecta, hic etiam *ἄμ' ἀμφότεραι* unius vocis instar dicendum est. *φᾶ μέν* non dubium est quin recte restituerim; quamquam cum Vind. aliique pro *ἁ μὲν* habeant *ἡ μέν*, non minus probabiliter conicias: *ἦ μὲν ἄμ'*

ἀμφοτέραις δέ. cui simile est quod Passovius voluit *ἦ καὶ ἐπαμφοτέραισι,* nisi quod *ἐπαμφότεραι* nihil est. Ad formam orationis comparari potest h. in Del. 43 *καὶ ἐξ Ἐφύρης ἀνιόντες | οἱ μὲν ἔτ᾽ οὐκ ἴδον αὖθι, σὺ δὲ στεινοῖο κατ᾽ ὀξὺν | ἔδραμες Εὐρίποιο πόρον.* In minore versu pro *ἆγε* nescio an recte Brunckius scripserit *εἶχε,* quod tum cum de hoc loco in Fleckeisenii Annalibus disputabam et eandem coniecturam proponebam me fugiebat. ac videtur illud constans dicendi usus requirere. Homerus Il. *ι* 559 *ἀλκυόνος πολυπενθέος οἶτον ἔχουσα.* Sophocles El. 168 *οἶτον ἔχουσα κακῶν.* Democritus apud Stobaeum Flor. XVI 16 *οἱ φειδωλοὶ τὸν τῆς μελίσσης οἶτον ἔχουσι.* Nicaenetus apud Parthenium Erot. XI p. 314 *ὀλολυγόνος οἶτον ἔχουσα.* videndum vero ne in codice, ex quo Lascaris Callimachum edidit ceterique libri descripti sunt, non *ἆγε* sed *ἦγε* scriptum fuerit, ut *ἦχε* poetam scripsisse suspicari possis. commemorat hanc formam Apollonius apud Etym. M. 119, 40, eiusque exemplum servatum est in Aeolico titulo a Letronnio Comm. de Memnone p. 161 edito. Pro *οἶτον* cod. Robortelli *οἶκτον* habet; probavit hoc Schneiderus l. l. coniunxitque *ἀηδονίδων οἶκτον κλαίουσα ἆγέ μιν,* ut Chariclo filium abduxisse dicatur. non dubito quin id ipse dudum reiecerit vir doctissimus.

100.

χρόνιοι δ᾽ ὧδε λέγοντι νόμοι.

Reieci et recte reieci Voss. et Vind. scripturas, quorum ille *πέλοντι,* Vind. autem *πέλοντο* habet. non incredibile tamen in his aliud quid latere quam *λέγοντι.* mihi quidem non displiceret *κέλοντι.* non memini quidem *κέλειν* pro *κέλεσθαι* ab aliis dictum esse; at constat quam saepe serioris aetatis scriptores

activas formas passivis et passivas activis substituerint. tetigit *κέλω* Lobeckius Paral. p. 557 Hesychium antestans *Κέκλει· καλεῖ, κελεύει.* sed minore periculo *ὧδ' ἐθέλοντι* conicias.

103. 104.

δῖα γύναι, τὸ μὲν οὐ παλινάγρετον αὖθι γένοιτο
ἔργον· ἐπεὶ μοιρᾶν ὧδ' ἐπένησε λίνα.

In primo versu apparent vestigia imitationis Apollonii Argon. II, 444 *Αἰσονίδη, τὸ μὲν οὐ παλινάγρετον οὐδέ τι μῆχος ἔστ' ὀπίσω.* nihilominus scribendum erat *τό κεν οὐ — γένοιτο.* In minori versu verissime Bentleius et ante Bentleium iam Spanhemius *ἐπένησε* scripsit pro *ἐπένευσε*, quorum verborum frequens est in libris confusio, velut apud Philostratum V. Apoll. p. 164, 2. K. *ὅτῳ ἔνευσαν μοῖραι τὸ ἐν τοξείᾳ κράτος, οὗτος οὐδ' εἰ ἀποβάλοι τὰς ὄψεις ἐκπεσεῖται τοῦ σκοποῦ*, ubi *ἔνησαν* vel *ἐπένησαν* scribendum. male opponit Ernestus Bentleio, non fila nere sed Parcas; cuius argumenti si aliqua vis esset, facile orationem ad consuetam dicendi rationem revocari posset scribendo:

ἔργον· ἐπεί οἱ μοῖρ' ὧδ' ἐπένησε λίνῳ,

secundum notissimum locum Homeri *ἅσσα οἱ αἶσα | γεινομένῳ ἐπένησε λίνῳ ὅτε μιν τέκε μήτηρ.* atque ita etiam in epigrammate apud Boeckhium C. I. n. 956 *ἑπτὰ δέ μοι Μοῖραι περιτελλομένους ἐνιαυτούς | ἐκλώσαντο μίτοις, ἄτροπα γραψάμεναι.* ac habent codd. Vind. et Voss. tenuia quaedam huius scripturae vestigia, quorum Vind. *μοῖραν* habet pro *μοιρᾶν*, Voss. autem *λίναν* pro *λίνα,* in quo *ν* ex *ι* adscripto natum videri potest, ut *λίναι* i. e. *λίνωι* in codice scriptum fuerit. Interim servavi vulgatam scripturam, quam tuetur epigramma Cyzicenum in Anthol. Pal. III 15 *οὕτως γὰρ μοιρῶν τῷδ' ἐπέ-*

κλῶσε λίνα, satis manifesta imitatione e Callimachi loco expressum.

113.

ὁππότ' ἂν οὐκ ἐθέλων περ ἴδῃ χαρίεντα λοετρά — Coniunctio *ὁππόταν* ab huius carminis dialecto tam est aliena, ut de corruptela loci dubitari non posse videatur. aliquanto tolerabilius esset *ὁππόκ' ἄν*. sed verum est haud dubie quod reposui *ὁππόκ' ἄρ' οὐκ ἐθέλων*. nam ne *ἄν* quidem dixit unquam Callimachus neque in hoc carmine neque in hymno in Cererem. Omnino severiore dorismo poetam in his carminibus usum esse, docent quas ex codicum fide reposui formas interioris dorismi *πώνειν* et *ἔσσα*, quibus addendum fortasse *ἔλλα* ex vs. 33 et *ἦχε* ex vs. 95. Non dubitavi igitur 65 reponere *νίν*, ubi libri habent *μίν*, atque ad eandem rationem nunc mihi certum est scripsisse poetam ubique *ὅκα ποκά τόκα*, quas formas cum sexies codd. 4. 7. 18. 57. 59. 101 unanimi fere consensu referre videantur, non credibile est eas poetam paucis aliis locis ut 38. 70 repudiasse. Minus certa res est de participiis aoristorum in *αις* 23. 49. 77. 91, quarum in nostris quidem codicibus nullum vestigium est, vel de *πολιᾶχος* (*πολιάοχος*) quod suasi vs. 57. pro *σέ* accusativo 41. 80. 117 non dubitandum videtur quin meliores libri, si qui forte in lucem protracti fuerint, vel *τύ* vel *τέ*, de quo ad Theocriti Id. I, 5 dixi, exhibituri sint, quemadmodum nominativo *τύ* 55 poetam usum esse recte opinor suspicatus sum. Mitto alia, de quibus in adnotatione critica partim admonui, partim cum minutiora essent admonere neglexi, velut quod *στάθεα* edidi pro *στήθεα* vs. 88.

Quod eodem versu legitur *χαρίεντα λοετρά* singulariter dictum est de lavacro quo formosa dea utitur, ut ad undas

translatum sit, quod proprie de lavante dicendum erat. eam ob causam aliquando *λοετρά* vitii suspectum atque ab emendatore evanidam in archetypo vocem revocare cupiente profectum esse existimabam, Callimachum autem *χαρίεντα πρόσωπα* scripsisse. neque per se necessarium erat *lavantem* deam commemorari; satis erat dici Actaeonem vidisse deam videri nolentem. cf. vs. 100. Defendit tamen librorum scripturam Propertius Eleg. I 20, 41 'et modo *formosis* incumbens nescius *undis* | errorem blandis tardat imaginibus', formosas undas dicens, in quibus formosus Hylas suam videbat imaginem; quamquam me non fugit, inter utrumque locum nonnihil interesse discriminis.

119. 120.

ὦ ἑτάρα, τῷ μή τι μινύρεο· τῷδε γὰρ ἄλλα
τεῦ χάριν ἐξ ἐμέθεν πολλὰ μενεῦντι γέρα.

Dixerat supra Minerva Actaeonis matrem felicem esse praedicaturam Chariclus sortem prae sua, quippe quae caecum quidem, at vivum tamen filium suum receptura sit, eamque ob causam compescendas esse querelas adicit, *τῷ μή τι μινύρεο.* cum his non bene congruunt sequentia, in quibus aliam causam indicat cur a luctu ei abstinendum sit, *τῷδε γὰρ ἄλλα μενεῦντι γέρα.* nonne apparet *γάρ* parum logice inferri? itaque vide ne scripserit poeta *τῷ δὲ παραλλάξ τεῦ χάριν ἐξ ἐμέθεν πολλὰ μενεῦντι γέρα*, huic vero *vicissim* multa bona destinata sunt. ac nescio an *παραλλάξ* lateat in scriptura Vind. *γὰρ ἄλλαι.* nisi praestat *παρ' ἄλλους* (*ἄλλως*) scribere. *τῷ δέ* pro *τῷδε* codices habent. *μενεῦντι* praegnanter dictum est *huic obtingent et proprii manebunt honores.* luculenter hic locus ostendit discrimen inter *μένειν τι* et *τινί.* *τόνδε* si legeretur, sequi debebat *μένοντι.*

123.

γνωσεῖται δ' ὄρνιχας, ὃς αἴσιος οἵ τε πέτονται —

Pro *ὃς αἴσιος* Vind. habet *ὅστ' αἴσιος*, quod si per metrum liceret, haud cunctanter probarem. pro *ὄρνιχας* ante Ernestum legebatur *ὄρνιθας*, quod si, ut fieri solet, ex *ὄρνις* natum ponas, *ὅστ' αἴσιος* locum suum tuebitur. nec alienam ab huius carminis dialecto esse formam *ὄρνις* ostendit Alcmanis exemplum Fragm. 24 *ὥστ' ὄρνις ἱέρακος ὑπερπταμένω.* ita enim cod. B.

128. 139.

δωσῶ καὶ βιότω τέρμα πολυχρονίω.

Legitur vulgo *πολυχρόνιον*, quod iam olim *πολυχρονίω* scribendum esse intellexi, cum idem in cod. Rom. legi ex Wernickii adnotatione ad Tryph. p. 41 vidi. nota lex est carminis elegiaci, qua pentametri versus partes ita sibi respondent, ut alterum hemistichium adiectivo, alterum substantivo terminetur. cuius legis in hoc ipso Callimachi carmine vide quanta sit exemplorum vis:

2 *ἔξιτε τᾶν ἵππων ἄρτι φρυασσομενᾶν*
4 *σοῦσθέ νυν ὦ ξανθαὶ σοῦσθε Πελασγιάδες*
6 *πρὶν κόνιν ἱππειᾶν ἐξελάσαι λαγόνων*
8 *τεύχεα τῶν ἀδίκων ἦνθ' ἀπὸ γαγενέων*
10 *πάντα χαλινοφάγων ἀφρὸν ἀπὸ στομάτων*
18 *οὐδ' ὅκα τὰν Ἴδᾳ Φρὺξ ἐδίκαξεν ἔριν*
20 *ἔβλεψεν δίναν ἐς διαφαινομέναν*
22 *πολλάκι τὰν αὐτὰν δὶς μετέθηκε κόμαν*
26 *χρίματα τᾶς ἰδίας ἔκγονα φυταλιᾶς*
32 *πέξηται λιπαρὸν σμαξαμένα πλόκαμον*
34 *παρθενικαὶ μεγάλων παῖδες Ἀκεστοριδᾶν*
38 *ὅς ποκ' ἀβούλευτον γνοὺς ἐπί οἱ θανατόν*

50 *ἥξει Φορβαίων Ἴναχος ἐξ ὀρέων*
60 *ἀλλὰ καὶ ἀρχαιᾶν εὖτ' ἐπὶ Θεσπιέων*
62 *καὶ βωμοὶ ποταμῷ κεῖντ' ἐπὶ Κωραλίῳ*
72 *λῶντο, μεσαμβρινὰ δ' εἶχ' ὄρος ἀσυχία*
86 *πότνια. τοιαῦται δαίμονες ἐστὲ φίλαι*
90 *ὦ ὄρος ὦ Ἑλικὼν οὐκ ἔτ' ἐμοὶ παριτέ*
94 *μάτηρ μὲν γοερᾶν οἶτον ἀηδονίδων*
100 *ἁρπάζειν· κρόνιοι δ' ὧδε λέγοντι νόμοι*
102 *ἀθρήσῃ μισθῶ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλω*
110 *καὶ τῆνος μεγάλας σύνδρομος Ἀρτέμιδος*
112 *ῥυσεῦνται ξυναὶ τᾶμος ἑκαβολίαι*
114 *δαίμονος· ἀλλ' αὐταὶ τὸν πρὶν ἄνακτα κύνες*
126 *χρησεῖ καὶ μεγάλοις ὕστερα Λαβδακίδαις*
130 *φοιτασεῖ μεγάλῳ τίμιος Ἀγεσίλᾳ*

Non commemorassem haec, nisi Wernickius verissimam cod. Rom. scripturam reiecisset. nec in paucis carminibus Anthologiae graecae eadem versus species revocanda est, velut in epigrammate Nossidis VI 125: *φαμὶ κατὰ βλοσυρὸν φλοῖσβον Ἐνυαλίου*, ubi *βλοσυροῦ* corrigendum est. at Mnasalcam VII 54

ὀστέα πληξίππων γῆ Μινυῶν κατέχει
Ἡσιόδου, τοῦ πλεῖστον ἐν Ἑλλάδι κῦδος ὀρεῖται,

vides consulto non scripsisse *πληξίππων γῆ κατέχει Μινυῶν*.

Versu 139 *σύν τ' εὐαγορίᾳ σύν τ' εὔγμασι σύν τ' ὀλολυγαῖς* pro ultima voce poeta mihi *ὀλολυγᾷ* scripsisse videtur, non tantum propter pluralem, cuius nullum exemplum est, sed etiam ut numerus substantivorum Callimacheo more alternet.

141.

χαῖρε καὶ ἐξελάοισα καὶ ἐς πάλιν αὖτις ἐλάσσαις

Constans haec librorum lectio est, cui Stephanus et ante Stepha-

num anonymus ἐς πόλιν substituit. hoc improbavi in Fleckeisenii Annal. philol. et paedag. vol. 81 p. 49, quoniam pompa Argorum urbem non videatur reliquisse; hoc quidem falso: Inachus enim, in quo abluendum erat deae simulacrum, ipsam urbem non attingit. at recte iam R. Bentleius praepositionem ἐς cum ἐλάσσαις coniungendam esse perspexit. orationis forma paulo liberius conformata est, cum enim dici debuerit *salve et exiens templo et revertens*, dictum est *salve et exiens et retro age equos.* Intellexit hoc Thomas Bentleius, cui ἡνίκ' ἐλάσσαις pro αὖτις. ἐλάσσαις scribendum videbatur. rectius coniecisset ἀνίκ' ἐλασσεῖς. sed, ut dixi, nihil mutandum est. Ceterum templa Minervae in urbe Argivorum fuerunt plura, cognominibus deae, quibus in uno quoque colebatur, distincta. ac Callimachus, ut e vs. 35 intelligitur, sine dubio illud dicit, quod a Diomede conditum ferebatur et in Larisam ascendentibus proximum erat Iunonis Acraeae et Apollinis Diradiotae fanis. colebatur in eo Minerva sub nomine Ὀξυδερκώ, teste Pausania II 24, 2 τοῦ Δειραδιώτου δὲ Ἀπόλλωνος ἔχεται ἱερὸν Ἀθηνᾶς Ὀξυδερκοῦς καλουμένης, Διομήδους ἀνάθημα, ὅτι οἱ μαχομένῳ (Homer. Il. έ 127) ποτὲ ἐν Ἰλίῳ τὴν ἀχλὺν ἀφεῖλεν ἡ θεὸς ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν. Quae vereor ne commenticia sit et ab aedituis ficta nominis Ὀξυδερκώ interpretatio, quod si me audis nihil differt ab Homerico deae epitheto βλοσυρῶπις vel γλαυκῶπις. Ὀξυδερκώ autem, non ut nostris mythographis placuit Ὀξυδερκής, veram nominis formam esse putavi propter similitudinem aliorum, velut Ἀφρώ Ἐλευθώ Ἐνυώ Χρυσώ Περιβασώ.'

AD EPIGRAMMATA

V

Κόγχος ἐγὼ Ζεφυρῖτι παλαίτερος· ἀλλὰ σὺ νῦν με
Κύπρι Σεληναίης ἄνθεμα πρῶτον ἔχεις.

Locus multis multorum criticorum coniecturis vexatus a nemine melius mihi curatus videtur quam ab O. Schneidero, qui *πάλαι τέρας* coniecit. olim, inquit, ego prodigium eram, navigii enim instar maria pererrabam. hoc esse desiit et nunc Arsinoae donarium positus est in templo reginae. At vitium superest in altero versu, in quo *ἄνθεμα πρῶτον* ita demum intelligi posset, si adiectum esset aliquid de alio item donario postea Arsinoae dedicando, quemadmodum factum videmus ab Antipatro Anth. Pal. VI 198

κειράμενος γενύων ἄρσενας ἀγγελίας
Φοίβῳ θῆκε Λύκων πρῶτον γέρας· εὔξατο δ' οὕτως
καὶ πολιὴν λευκῶν κεῖραι ἀπὸ κροτάφων.

itaque locum corruptum esse puto, quae etiam Heckeri sententia fuit Comment. de Anthol. I p. 16 nihil tamen tentantis. emendandum videtur:

Σεληναίης ἄνθεμ' ἔρωτος ἔχεις.

Selene vel desponsata vel nova nupta erat, amorisque sui monumentum dedicat Arsinoae. *ἄνθεμα* suae aetatis more pro *ἄνθημα* (*ἀνάθημα*) dixit ut Theocritus Epigr. XIII 2. Meleager

Anth. Pal. VI 162 aliique. cave autem credas tales formas finxisse poetas *linguae ignaros*, ut Cobetus in Mnemosyne vol. VII p. 439 opinatur. siquis enim illarum formarum exempla examinarit, continuo intelliget, recentiorem linguam haec nomina a passivis formasse, cum vetus lingua ea ad activa revocasset. itaque veteres dixerunt *ἀνάθημα* ab *ἀναθήσω*, *εὕρημα* ab *εὑρήσω*, *θῆμα* a *θήσω*, *κλῖμα* ab *ἔκλινα*, *ἔνδυμα* ab *ἐνδύσω*, *φῦμα* a *φύσω*, *πῶμα* a *πέπωκα*, recentes autem *ἀνάθεμα* ab *ἀνετέθην*, *εὕρεμα* ab *εὑρέθην*, *θέμα* ab *ἐτέθην*, *κλίμα* ab *ἐκλίθην*, *ἔνδυμα* ab *ἐνεδύθην*, *φύμα* ab *ἐφύην*, *πόμα* ab *ἐπόθην* *). vides igitur certam legem eos secutos esse et analogiam ab vetere quidem diversam, at analogiam tamen. nunquam autem illis in mentem venit e. c. *τρύπεμα* dicere pro *τρύπημα*, *χρύσομα* pro *χρύσωμα*, *τρέμα* pro *τρῆμα*, *εὐλόγεμα* pro *εὐλόγημα*, quod si fecissent, tum sane linguae ignaros se praebuissent et in iustam reprehensionem incurrerent.

Corruptum item quartum epigrammatis elegantissimi distichon. quod cum ita vulgo scriptum legatur:

ἔστ' ἔπεσον παρὰ θῖνας Ἰουλίδας, ὄφρα γένωμαι
σοὶ τὸ περίσκεπτον παίγνιον, Ἀρσινόη,

Casaubonus pro *Ἰουλίδας* scribendum coniecit *Ἰουλίδος*, quod Dindorfius Jacobsius aliique secuti sunt. Selene patria fuit Smyrnaea. itaque statuendum esset, nautilum quem dedicat a Cea insula sive per emptionem sive per aliam opportunitatem in manus eius venisse. id vero cum ne verbo quidem a poeta indicatum sit, probabilius est nautilum non in Cea insula in litus

*) De *πόμα* olim ad Theocriti III 78 non recte statui. verissime Cobetus in Pindari Nem. III 135 probavit Bergkii emendationem *στόμα*, quod cum *ἀοίδιμον* coniungendum est; non commemoravit hanc suam emendationem in novissima editione Bergkius.

eiectum fuisse, sed in ora maris Ioniam alluentis. proinde scribendum conieci:

ἔστ' ἔπεσον παρὰ θῖνας Ἰωνίδας.

nam ut praeterea ἔκ τ' ἔπεσον scribatur, ut voluit Hemsterhusius, minime opus est; recte latinus interpres *tandem ripam incidi Iulidis*. Quartum distichon aenigmatis instar est, quod qui ita solverit ut satis faciat,

τῷ δώσω χρυσέους δέκα στατῆρας.

non solvit certe neque Bentleius sensum esse affirmans 'non amplius victitarem ovis alcyonum', nec qui nuper ἅπλους scribendum censuit vir doctus in Mützelli Annal. rerum schol. 1860 p. 348, neque denique Schneiderus Philol. Gott. IV p. 567 θαλάμας de ima conchi parte intelligens. quis enim unquam audivit, vel nautilum alcyonum ovis victitare vel alcyones in nautilo ova parere? in huius ἀπορίας λύσει cardo rei vertitur. De Clinia Smyrnaeo, Selenes patre, quaerere inutile forsan fuerit; non prorsus tamen a vero abhorrere videtur, eundem hunc esse Cliniam cuius versus quidam afferuntur a Stobaeo Flor. LXIV 16

μή τις ἀτιμάτω θηλέων πολύδακρυν ἔρωτα,
μηδὲ πόθον παίδων μηδ' ἱμερτὴν φιλότητα,
ὧν ἰότητι Μύρων κατέβη πολύκλαυστον ἐς ᾅδην.

in quibus certe nihil est quod a poeta Callimachi coaevo dici non potuerit. sed haec quam incerta sit coniectura ipse intelligo. Non obscuri generis virum fuisse ex eo colligas, quod numus Smyrnaeus apud Mionnetum Descr. de medailles ant. vol. III 201 Cliniae nomen inscriptum habet, cum Callimacheo, ut credere par est, affinitatis vinculo coniuncti. Ceterum, ut hoc addam, versus illos maioris carminis partem esse credo, non epigramma sepulcrale, quae sententia fuit Welckeri Sylloge Epigr. p. 149. versu primo vulgatur μή τις τιμάτω θνητῶν π. ἔρωτα.

De ultimi distichi verbis postremis καὶ Σμύρνης ἐστὶν ἀπ᾽ Αἰολίδος dixi ad Theocriti Id. XVIII 58, ubi evicisse mihi videor, Arsinoen Smyrnae natam esse, quemadmodum frater eius et coniunx Ptolemaeus in vicina Smyrnae insula Co in lucem editus erat. id si teneas, Callimachi verba sanissima esse intelliges nec quidquam cum Heckero Comm. Anthol. I p. 16 mutandum. Denique non silentio praetereundum est, satis probabilem esse Hauptii nostri sententiam, laudem quae verbis οἶδε γὰρ ἐσθλὰ ῥέζειν continetur, non ad mores Selenae, sed ad artem, qua ipsa hoc epigramma nautilo insculpserit, referendam esse. potest etiam ad colores referri, quibus distinxerit concham, quo sensu ῥέζειν dixit Epicharmus apud Photium v. ῥέξαι et Anacreon Anth. Pal. VI 136.

VI

Κρεωφύλου πόνος εἰμὶ δόμῳ ποτὲ θεῖον Ὅμηρον — Recte opinor, pro Κρεωφύλου e Strabone edidi τοῦ Σαμίου. sic enim solet Callimachus homines notos a patria designare, ut Aratum appellat τὸν Σολέα Epigr. XXVII 3, Pythagoram τὸν Σάμιον XLVIII 4, Pyladem τὸν Φωκέα LIX 3. ac nescio an noluerit poeta nominis Κρεώφυλος, de cuius varia scriptura ad Delectum Anth. Pal. p. 204 diximus, duas primas in unam contrahere. nihil huius generis sibi alias permisit poeta in versus initio. nam quod Bentleius Fragm. CLVIII restitui voluit γεωδαῖται trisyllabum, vero quidem proximum est, at verum non esse apparet ex ipsis Etymol. M. verbis, ubi haec leguntur p. 223, 18 γαιοδόται, οἱ ἀρχιτέκτονες ἢ οἰκονόμοι παρὰ τὸ δαίειν ὃ σημαίνει τὸ μερίζειν. scribendum igitur in Callimachi illo versu cum Sturzio γαιοδάται τὰ σπάρτα διηνεκὲς εὖτε βά-

*λωνται**), non *γεωδαῖται*. Pro *Ὅμηρον* apud Sextum *ἀοιδόν* editur; iam constat quidem saepisssime Homerum *θεῖον ἀοιδόν* vel *θεῖον Ὅμηρον* appellari, hoc autem loco vide ne Callimachus ut Creophylum, ita etiam Homerum a patria appellarit; ac perfacilis est emendatio *Χῖον ἀοιδόν*. eodem errore apud Etymol. M. p. 445, 8 editur *Ἐνομίδης ὁ τὰ θεῖα γράψας*. codd. *Ἐνομήδης*, i. e. *Ξενομήδης* ut vidit Dindorfius; pro *θεῖα* autem repone *Χῖα*. Xenomedes patria Chius fuit.

X

ἤ τι περὶ ψυχῆς ἢ πάλι πῶς ἔσεαι,
δίζεσθαι φυλῆς Πτολεμαΐδος, υἱέα πατρός —

Frustra Jacobsius haeret in expedienda verborum structura, *δίζεσθαι* a sciolo in locum omissi vocabuli, e. c. *Κεκροπίδην*, illatum existimans et vs. 6 *δὲ* post *δήεις* expungens. siquis Timarchum convenire volebat in inferis, non potuit in magna eiusdem nominis mortuorum multitudine aliis quam his verbis uti: *δίζημαι Τίμαρχον Πανσανίου φυλῆς Πτολεμαΐδος*. quare nihil novandum est, nisi quod ex ipsius Callimachi usu rectius fuerit *δίζησθαι*. Timarchum autem, quem philosophicis studiis vacasse apertum est, quo iure Atheniensem dicat Jacobsius, non perspicio. Ptolemais phyle fuit etiam Alexandriae (Anal. Alex. p. 348), ut nihil impediat quo minus hoc epigramma poetam, ut

*) Respexit ad hunc versum, in quo *διηνεκές* adverbialiter dictum est, Hesychius *Διηνεκές· δι' ὅλου. σκληρόν* (leg. *ὁλόκληρον*). Pro *διηνεκές*, ni fallit coniectura, *ζηνεκές* dixit Callimachus Fragm. CXXXVIII *καὶ τὸν ἐπὶ ῥάβδῳ μῦθον ὑφαινόμενον | ζηνεκὲς ἀείδω δεδιδαγμένος*. Quae ex aliquo carmine petita sunt, quo poeta sese in omni poesios genere versatum esse dixerat. cf. Fragm. CCCCLX *μουσέων δ' οὐ μάλα φιδὸς ἐγώ* et CCXXIII *τοῦ τε μεθυπλῆγος φροίμιον Ἀρχιλόχου*. sic enim haec correxi Delectu Anth. p. 121.

reliqua fere omnia, Alexandriae scripsisse existimemus. ac commemorat Timarchum philosophum Alexandrinum Diogenes Laertius VI 95 a Callimacheo fortasse non diversum. In versu minore praestat fortasse scribere ἢ εἰ πάλι πως ἔσεαι, *ut aliquid certius de animae natura sciscitéris, et num qua in vitam rediturus sis*, quod consilio poetae melius respondere videtur quam *quo pacto revicturus sis.* hoc enim recte diceretur de eo cui de reditu in vitam persuasum est, non item de eo qui dubitat et quid rei sit comperire cupit. non pertinet huc Epigr. LXV 4, quod moneo propter Heckerum Comm. de Anth. I p. 305. de ἤ et εἰ in unam syllabam coeuntibus vide ad Theocriti Id. XI 80.

XIII 3—6.

'ψεῦδος'. ὁ δὲ Πλούτων; 'μῦθος. ἀπωλόμεθα.
οὗτος ἐμὸς λόγος ὔμμιν ἀληθινός· εἰ δὲ τὸν ἡδὺν
βούλει, πελλαίον βοῦς μέγας εἰν Ἀΐδῃ'.

Heckerus, qui hoc carmen etiam in secunda editione Comment. de Anth. p. 301 sqq. tractavit, recte ἀπωλόμεθα primo interlocutori dedit. Postremis verbis primus omnium Jacobsius admovit Callimachi Fragm. LXXXV ἐκ τῶν ὅκου βοῦν κολλύβου πιπρήσκουσιν. unde apertum est πελλαῖος sive πελλαῖον numuli nomen esse, aliunde sane non cognitum. sed in hac parte antiquitatis quantum est quod nescimus! minime vero probanda est Scaligeri πελλαῖος conicientis ratio, ab Heckero distichon in fine epigrammatis excidisse statuente defensa. Male idem Charidantem Callimachi non diversum esse a Charide statuit heluone Attico ab Alexide apud Athenaeum IV p. 161 b et 165 d irriso. Alexidis locos si quis accurate inter se comparet, ei dubium esse non potest, quin Ἐπιχαρίδης verum hominis nomen fuerit, non Χαρίδης, quod ego debili auctoritate Eustathii fultus

in altero Alexidis loco reponendum suasi Com. Gr. IV p. 497 et in Athenaei editione reposui. Pro *βούλει* rectius fortasse scripseris *βούλῃ*. sic enim solet Callimachus.

XIV

Δαίμονα τίς δ' εὖ οἶδε τὸν αὔριον; ἡνίκα καὶ σέ,
Χάρμι, τὸν ὀφθαλμοῖς χθιζὸν ἐν ἡμετέροις
τῇ ἑτέρῃ κλαύσαντες ἐθάπτομεν.

Si verum est quod in adnotatione dixi initium carminis intercidisse, suspicari possis poetam aliquid in hunc fere sensum dixisse: ***multi quibus singulari deorum benevolentia laetissima sors obtigit in perpetua felicitate se fore sperant.*** fortasse tamen nihil intercidit scripsitque poeta *τίς δεῦτ' οἶδε τὸν αὔριον;* nota est de interiectione *δεῦτε* (*δηῦτ'*) disputatio Buttmanni Lexil. II p. 230. ac ne quis exemplum requirat quo *δεῦτε* etiam in interrogatione positum sit, Archilochus fragm. 62 dixit: *Ἐρξίη, πῇ δηῦτ' ἄνολβος ἀθροΐζεται στρατός;* at possunt etiam alia conici, velut *τίς δηὖ* i. e. *τίς δὴ εὖ*. In sequentibus fugit me vitium manifestum; pro *ἐθάπτομεν* ex linguae lege scribendum *ἐθάψαμεν*. Non raro quidem huius aetatis poetas tempora permiscere videmus, ut ipse Callimachus Epigr. XX 1 iterum *ἐθάπτομεν* dixit, ubi castigatus sermo aoristum poscit; at cum *ἡνίκα* coniunctum imperfectum non alio videtur sensu dici potuisse quam *eo tempore quo te sepeliebamus.* praeterea notandum est *ἡνίκα* causali potestate dictum *quandoquidem*, cuius usus aliud exemplum, quoad ego memini, suppetit nullum.

XV

Τιμονόη, τίς δ' ἐσσί; μὰ δαίμονας οὔ σ' ἂν ἐπέγνων.

Corruptelam in his latere ostendunt verba *τίς δ' ἐσσί*, quae non

significant quod significare olim creditum est, *τί γέγονας*. nec poenitet propositae emendationis: *Τιμονόη ἠὲ τίς ἐσσι;* vel si mavis *Τιμονόη ἢ τίς δὴ σύ; tune Timonoe? an quamnam te esse dicam?* adeo scilicet mutata erat mortuae facies. non combusta igitur erat Timonoe, sed in translucida vel aperta sandapila condita. cf. Leonidas Anth. Pal. VII 478

τίς ποτ᾽ ἄρ᾽ ἢ τίνος, οὗ ῥα παρὰ τρίβον ὀστέα ταῦτα
τλήμον᾽ ἐν ἡμιφαεῖ λάρνακι γυμνὰ μένει;

ubi non *ἡμιφανεῖ*, ut Heckerus Comm. de Anth. I p. 297 voluit, scribendum est, sed *ἡμιχανεῖ*, *in semihiante arca.* De crasi praeter allatum in adnotatione Homeri locum *εἰλαπίνη ἠὲ γάμος*, vide Arist. Thesm. 536 *εἰ δὲ μὴ ἡμεῖς*. ceterum Timonoae nomen a Planude invectum non tam certum est ut vulgo creditur. in cod. scriptum est *Τιμονίη*, i. e. ut opinor *Τιμώνη ἤ*, ipsa codicis scriptura coniecturam nostram de addenda particula *ἤ* confirmante. De hoc nominum genere accurate disputavit Naekius Opusc. II p. 43, cuius exemplis adde *Ἰώνη* de quo v. Diatriben ad Epigr. XXXVIII.

XXIV

Ἥρως Ἀἰετίωνος Ἐπίσταθμος Ἀμφιπολίτεω
ἵδρυμαι μικρῷ μικρὸς ἐπὶ προθύρῳ,
λοξὸν ὄφιν καὶ μοῦνον ἔχων ξίφος· ἀνδρὶ ἱππείωι
θυμωθεὶς πεζὸν κἀμὲ παρῳκίσατο.

Ἀἰετίωνος codicis scriptura est, quam nescio quo iure omnes interpretes Planudeae correctioni *Ἠετίωνος* posthabuerint. num illi ab *αἰετός* non recte hominis formari nomen crediderunt? Haec sane etiam Wackernageli opinio est in eleganti libello *ἔπεα πτερόεντα* inscripto Basil. 1860. at habemus nomen *Ἀέτιος* Pausaniae auctoritate munitum, et *Ἀετίων* nobi-

lissimi pictoris nomen apud Lucianum. quare si quid mutandum in nominis scriptura, Ἀετίωνος scripserim, quamquam ne hoc quidem opus est. Tum scripsi Ἐπίσταθμος pro vulgato ἐπίσταθμος, quod qui corrigi voluerunt, non intellexerunt necessario requiri nomen ipsius illius herois quem Aection dedicaverat. neque fugit hoc Göttlingum in docta de hoc Callimachi carmine dissertatione Indici lect. Univer. Ienensis 1860 praemissa p. 4. quamquam is non *Epistathmus*, ut ipsi olim visum fuerit, sed *Micrus* seu *Miccus* herois nomen fuisse existimat, μικρῷ Μικρὸς ἐπὶ προθύρῳ reponens et ἐπίσταθμος de aedium custode explicans. Idem codicis lectione non memorata tenet Planudis interpolationem, et Eetionem Amphipolitanum notum illum sculptorem esse conicit, cuius memoriam unum adhuc Theocritum Epigr. VII servasse creditum est. itaque statuit Göttlingus describi his verbis Eetionis Amphipolitani sculptoris tabulam anaglypham super foribus ianuae e vestibulo in interiorem partem aedium ducentis positam, in qua Micrus heros repraesentatus fuerit cum angue et gladio. De Eetione fugerunt Göttlingum quae ipse nuper disserui in Philol. Gott. XIV p. 23, ubi ostendi aliud eiusdem artificis opus commemorari a Phlegonte Trall. Mirab. p. 128. eodem loco eum patria Milesium fuisse, certe Mileti vitae domicilium posuisse non temere opinor statui. non credo igitur verum esse quod Göttlingus affirmat, eundem artificem commemorasse Callimachum. Praeterea nonnihil dubitationis mihi faciunt verba ἥρως Ἠετίωνος. ita enim loqui solemus de celebri quodam et eximiae artis opere, e. c. cum de Iove Phidiae, de Iunone Polycleti, de Venere Praxitelis loquimur. at heros ille satis mediocre opus fuisse videtur neque ulla eximiae artis laude commendatum. Stabit igitur vetus Callimachei distichi et recepta ab omnibus interpretatio, Aeetio-

nem in exili aedium suarum vestibulo exilem herois imagunculam statuisse. Id sigillum habere dicitur nil praeter anguem et ensem. anguis cum heroum cultu coniunctissimus erat, propterea quod immortalitatis, sive ut aliis placet insignis cuiusdam deorum favoris symbolum habebatur, quam in rem apposite Heckerus Comment. de Anthol. I p. 117 affert Plutarchum V. Cleomenis c. 39. Recte autem dicit *nil nisi ensem.* heroes enim vulgo non ense tantum armati erant sed etiam scuto. cf. intpp. Aristophanis Vesp. 823. hinc est quod legitur apud Zenobium Prov. I 64 *ἀλλ' ὥσπερ ἥρως ἐν ἀσπίδι ξενίσαι σε βούλομαι. παρόσον οἱ ἥρωες τὸ παλαιὸν ἔνοπλοι ὄντες ἐξενίζοντο.* ubi restitue obiter incerti comici versum:

ἀλλ' ὡσπερεὶ
ἥρως ἐν ἀσπίδι ξενίσαι σε βούλομαι.

Reliqua epigrammatis pars intelligi non potest nisi quod nescio an nunquam futurum sit emendatis verbis *ἀνδρὶ ιπείωι.* ita enim in codice scriptum est. virorum doctorum coniecturis in adnotatione critica allatis accedat nunc haec Göttlingi, quam ipsis viri doctissimi verbis apponam, cum libellus eius in paucorum manus venerit: 'Miccus igitur si ita dicere licebit mortuum heroem, putandus equo meruisse et in pugna quadam trucidatus esse. post mortem viri signum eius erexerunt parentes in domo familiae, at non equestre, ut par erat, sed pedestre quod aptius videbatur esse modicae vestibuli opportunitati. causam tamen quae invenienda erat in aedium ipsarum parvitate lepide in quodam equorum fastidio contemptuque Eetionis quaesivit Callimachus. Amphipolis enim, Eetionis patria, sita erat in regione Edonorum, qui olim socii et amici Priami cum Rheso auxilia tulerant Troianis. Rheso vero cum exitio fuissent equi ipsaque urbs Troia cum capta esset equo troiano, ab Epeo facto, iram

suam in equos Epeumque post tot saecula non dissimulasse Eetionem, artificem ipsum contra artificem, finxit poeta, ita ut Miccum, quî fingendus erat eques, fingeret peditem. quartum enim versiculum sic puto scribendum esse: *ἀνδρὶ δ' Ἐπειῷ θυμωθεὶς πεζὸν κἀμὲ παρῳκίσατο'*. et paucis interpositis de *ἀνήρ* sic posito: '*κἀμέ* autem dixit Callimachus hac sententia: *me adeo*, quem equitem fingere debebat, finxit peditem. Haec omnia si sunt probabilia consentaneum est etiam, ut diximus, sculptorem fuisse Eetionem Amphipolitanum, non possessorem aedium, quod voluerunt Heynius et Jacobsius, si ipse fuit Amphipolitanus, taediosum equorum fingere, cum parens eius, Miccus heros, equo meruisset; sed non illepide Callimachus *sculptorem* Eetionem hoc taedio laborasse propter Epeum artificem ludere potuit'. Omitto reliqua, quae in describendo anaglypho versantur, quod ex ipso illo Eetionis opere expressum existimat vir ut totius antiquitatis, ita rerum ad antiquam artem spectantium peritissimus. mihi tamen inter utrumque monumentum nihil similitudinis reperire contigit nisi quod in utroque serpentem heroi additum video. apud Callimachum habes heroem peditem cum angue et gladio, praeterea nihil; in anaglypho heroem in lecto cubantem scyphum pateramque manibus tenentem, de gladio nihil: ad pedes lecti serpentem, porro mensam fructibus libisque repletam; nec procul inde verrem mensae adstantem. praeterea magnum figurarum choragium, femina in eodem lecto sedens, pone hanc tres puellae adultae totidemque minoris aetatis sive puellae sive pueri; his ex adverso pincerna vinum in pateram infundens et alia figura incerta, denique caput equi quasi per fenestram introspicientis. Haec quo modo cum Callimacheae imagunculae exilitate conciliari possint non perspicio. sed redeo ad corrupta illa *ἀνδρὶ ιπείωι θυμωθεὶς πεζὸν*

κἀμὲ παρῳκίσατο, quae difficile est ita emendare ut probabilis sententia evadat. Ad literarum ductus proxime accedit quod Jacobsius coniecit *ἀνδρὶ δὲ πεζῷ θυμωθείς.* sed ipse sensit nihil hac correctione ad sententiam profici. nihilominus probabilem puto, sed ut praeterea corrigatur:

ἀνδρὶ δὲ πεζῷ
συσσωθεὶς πεζὸν κἀμὲ παρῳκίσατο.

Aeetion duorum hominum, fortasse filiorum, sigilla in atrio posuit, quorum alter pedes alter eques meruerat; a pedite olim ex praesenti mortis discrimine servatus, huius statuam erexerat, ac ne alteri plus honoris haberetur vel ob aliam ignotam nobis caussam, huius quoque non equestrem, ut decebat, sed pedestrem statuam iuxta illum posuit. verbum *συσσώζειν*, praesertim a serioribus saepe ita ponitur, nihil ut differat a simplici, pariter ac latinum *conservare* nihil differt a *σώζειν*. Ita certe intelligi possunt, quae si codicis scripturam sequare sensu cassa sunt. ac tentandum aliquid erat, quod sententiam utcumque salvam praestaret.

XXVI 3. 4.

Μικύλος εἴ τι πονηρὸν ἐπῄνεσα, μήτε σὺ κούφη
γίνεο μήτ' ἄλλοι δαίμονες, οἵ μ' ἔχετε.

Fortasse haec iniuria in vitii suspicionem adduxi, non tamen ut prorsus poeniteat. quod de integritate traditae scripturae dubitationem mihi movebat, erat hoc, quod notum illud *sit tibi terra levis*, in quo terra proprio sensu capitur, a poeta ita usurpatum videbam, ut in sequentibus inferis diis accenseatur. accedebat quod adiectivum *κοῦφος* de diis propitiis dictum mihi novum accidebat. quare corrigendum putavi:

μήτ' ἀγανοὶ δαίμονες, οἵ μ' ἔχετε.

Non impedio tamen quominus librorum scriptura integra servetur, sed ut poetam iusto negligentius locutum esse fateamur.

XXVII 3. 4.

τῶν ἐπέων ὁ Σολεὺς ἀπεμάξατο. χαίρετε λεπταί
ῥήσιες, Ἀρήτου σύμβολον ἀγρυπνίης.

Carmen hoc, cuius ultimam partem praescripsi, sine dubio volumini inscriptum erat quo Arati Phaenomena continebantur. cf. infra ad Epigr. LXVI. Versu postremo recepi elegantem et certam Ruhnkenii emendationem *σύμβολον*, de qua satis in adnotatione critica dictum est. non tamen persanatum esse locum ostendit mensura nominis *Ἄρητος*, quod quamquam pariter atque muliebre nomen *Ἀρήτη* apud Homerum ceterosque epicos primam producit*), apud eos tamen qui communi dialecto scripserunt eandem constanti usu corripit. Theocritus VI 2 *τὰν ἀγέλαν ποκ᾽ Ἄρατε συνάγαγον.* VII 102 *ὡς ἐκ παιδὸς Ἄρατος ὑπ᾽ ὀστέον αἴθετ᾽ ἔρωτι* et 122 *ἐπὶ προθύροισιν Ἄρατε.* Meleager Carm. I 49 *ἄστρων δ᾽ ἴδριν Ἄρατον ὁμοῦ βάλεν.* Ptolemaeus rex in vita Arati ed. Buhl. p. 433 *ἀλλὰ τὸ λεπτολόγου* (leg. *λεπτολόγων*) *σκῆπτρον Ἄρατος ἔχει.* Strato Anth. Pal. XII 1 *καθὼς εἴρηκεν Ἄρατος.* Philodemus XI 318 *Ἀντικράτης ᾔδει τὰ σφαιρικὰ μᾶλλον Ἀράτου.* Antipater IX 541 *μηκέτ᾽ Ἄρητον ἐπίβλεπε.* Incertus apud Pausaniam VI 19 *τεῖχος ἑλόντες Ἀράτου.* alius apud Plutarchum V. Arat.

*) Cave huic legi repugnare credas *Ἀρητιάδης* prima brevi dictum ab Homero Odyss. XVI 395, XVIII 413. hoc enim nomen non ad *Ἄρητος* revocandum est, sed ad *Ἄρης*, quod non tantum *Ἄρηος* sed etiam *Ἄρητος* in antiquo sermone flexum esse docet Cycni, qui Martis filius fuit, patronymicum *Ἀρητιάδης* apud Hesiodum Scut. Herc. 57 et fontis Marti sacri nomen *Ἀρητιάς* apud Apollonium Arg. III 1181. de Nonni loco Dion. XXXII 186 in quo *Ἄρητος* contra Homericum usum primam corripit v. Köchlyn.

14 *ἄμμες δ' εἰκόν' Ἄρατε τεάν*. Oraculum ibid. 53 *ζωάγριον αἰὲν Ἀράτου*. Anonymus apud Jacobsium Anth. Pal. Append. 235 *εἰπὸν Ἀρατείῳ γαῖαν ἔχοις ἐλαφράν*. Neque aliter latini poetae. Cinna apud Isidorum VI 12 *haec tibi Arateis multum evigilata lucernis carmina*. Ovidius Am. I 15 *cum sole et luna semper Aratus erit*. Statius Silv. V 3, 23 *doctique modos extendis Arati*. Haec omnia Aratei nominis apud poetas exempla sunt, quorum constans usus ostendit ne Callimachum quidem aliam mensuram secutum esse. scripsit autem sine dubio:

ἀκρήτου σύμβολον ἀγρυπνίης.

Quo aptissime acris nec interrupta vigilia indicatur. quicquid enim in suo genere vehemens est et intenta cura peragitur, *ἄκρατον* dicitur; *ἄκρατον ὀργήν* dixit de vehemente ira Alcidamas apud Aristotelem Rhet. III 3, *ἄκρατον νύκτα* de profunda nocte Aeschylus Choeph. 55 ex certa sed a novissimis editoribus neglecta emendatione Dindorfii. similiter dicitur *ἄκρατος σοφία*, *ἄκρατος πονηρία*, *ἄκρατος ὕπνος* et alia.

XXVIII 1. 2.

Ἐχθαίρω τὸ ποίημα τὸ κυκλικόν, οὐδὲ κελεύθῳ
χαίρω τὶς πολλοὺς ὧδε καὶ ὧδε φέρει.

Hunc usum pronominis *τίς* pro relativo asserere studui ad Delectum Anth. p. 94. ubi quae allata sunt exempla, eorum numerum non modo ex aliis scriptoribus, e. c. ex Athenaeo X p. 438e *τίνι ἡ τύχη δίδωσι λαβέτω*, sed ex ipso adeo Callimacho augere liceret, si vel Reiskius de Iov. 92 vel Schneiderus de Del. 185 recte statuisset, qui tantum abest ut mihi persuaserint, ut ne iis quidem locis, quos ipse l. l. et Dindorfius ad Sophoclis OT. 1140 composuimus, aliquid tribuendum censeam. nullus horum Callimacheo prorsus similis est, quippe in nullo *τίς* praecendente sub-

stantivo positum reperitur, sive ut aliis verbis quid rei sit dicam, nullus in omnibus illis exemplis locus est, in quo *τίς* vel *τί* germanico *wer* vel *was* non respondeat. Itaque quin corruptus sit Callimachi locus dubitari non potest, scribendumque arbitror (nam Blomfieldus, qui confidenter, ut ait, *τῇ* pro *τίς* reposuit, barbarismum barbarismo expellens nihil promovit), scribendum igitur existimo *οὐδὲ κελεύθῳ χαίρω, ὅτις πολλοὺς ὧδε καὶ ὧδε φέρει.* In hoc pronomine *ὅ* indeclinabile esse constat, ut in *ὅτινος, ὅτινι, ὅτινα, ὅτου, ὅτῳ, ὁτέοις* atque adeo in feminino *ὁτέῃσι.* Aeolensibus hunc usum tribuit schol. Sophoclis Ai. 290 *παρ' Αἰολεῦσι τὸ ὅ τ ι ν α κοινόν ἐστι κατὰ γένος*, hoc est Aeolenses *ὅτινα* dicere pro omnibus generibus. nominativi *ὅτις* pro feminino dicti nullum quidem exemplum suppetit, at si *ὅτινος* pro *ἧστινος* dici potuit, potuit etiam *ὅτις* dici pro *ἥτις*, praesertim a Callimacho, hoc est ab eo poeta, qui non pauca ex hoc genere ad quandam analogiae speciem vel ipse formavit vel alios ita locutos secutus est. de aeolismis apud Callimacham dixi in Diatribe ad Del. 248. Sed aliud praeterea in eodem versu vitium est. manifestum est poetam expressisse notum illud Pythagorae praeceptum *μὴ στείχειν τὴν λεωφόρον, non decere via incedere vulgi pedibus pressa.* at *πολλοί* non vulgus sunt sed *multi*, quo sententiae vis mirifice infringitur. quare suspicor librarios, cum in archetypo *ΛΛΟΥC* scriptum esset idque proclivi errore in *ΛΛΟΥC* abiisset, emendaturos scilicet quod non intelligerent, *πολλοὺς* correxisse. similes apud Callimachum corruptelas attigi Diatr. ad Del. 266. Vides emersisse iam Pythagoricam *λεωφόρον.* quare si meo res arbitrio ageretur, Callimachi epigramma in hunc modum repraesentarem:

Ἐχθαίρω τὸ ποίημα τὸ κυκλικόν, οὐδὲ κελεύθῳ
χαίρω ὅτις λαοὺς ὧδε καὶ ὧδε φέρει.

Credo equidem haec satis probabiliter disputata esse; non celabo tamen etiam aliam emendationis viam iniri posse. quis enim iure vituperet a Callimacho scriptum fuisse conicientem *χαίρω ἢ τοὺς πολλοὺς ὧδε καὶ ὧδε φέρει?* eadem plane crasi, qua Aristophanes Acharn. 860 usus est in iuramento Boeotico *ἴττω Ἡρακλῆς*. ego tamen, si optio datur, praeferre non dubito quod primo loco conieci. Cyclicum carmen, ut hoc addam, non credo in eam sententiam accipi posse, quam Welckerus in libro de Cycl. poesi vol. I p. 112 secutus est, sed de cantilenis intelligo in publicis hominum coetibus cani solitis. quae interpretatio mihi sola Callimachi consilio respondere videtur.

XXX 2. 3.

ὀστέα σοι καὶ μοῦνον ἔτι τρίχες. ἦ ῥά σε δαίμων
οὑμὸς ἔχει, χαλεπῇ δ' ἤντεο θευμορίῃ.

Merito advertit Valckenarium Callim. Eleg. p. 23 homini curis macerato nil superesse dici quam ossa et *capillos*, quos effluxisse potius misero dicendum erat. non probari tamen posse quod coniecit *ὀστέα σοι καὶ ῥινὸς ἔτ', οὐ τρίχες*, apertum est, non tantum propter numeros, quos pro elegantissimis intulit inficetissimos, sed etiam propter totam sententiae conformationem. vix enim feras dicentem *ossa tibi sunt adhuc et cutis, non crines.* quae misere balbutientis est oratio. difficile tamen aliquid reperire, quod sua se probabilitate commendet, quamquam hoc pro certo et indubitato sumi potest, vitium non in alia voce situm esse quam in *τρίχες*. interim videant alii, num forte scripserit poeta *ὀστέα σοι καὶ μοῦνον ἔτι ῥάχις*. quo nomine non tantum spina dorsi, sed etiam costae significantur acutae et prominentes. nemo, credo, magnopere vituperet dicentem *nichts als Knochen und Geripp.*

XXXVI

Τὸν βαθὺν οἰνοπότην Ἐρασίστρατον ἥδε δὶς ἑξῆς
ἀκρήτου προποθεῖσ᾽ ᾤχετ᾽ ἔχουσα κύλιξ.

Alexandrini poetae quamquam plerumque dictione artificiosissime elaborata usi sunt, saepe tamen ea ausi sunt, quae quo pacto excusari possint prorsus non intelligitur. luculentum huius rei exemplum praebent versus supra adscripti, in quibus quid significent verba *ᾤχετ᾽ ἔχουσα* aegre perspicitur. frequens dicendi genus est *οἴχομαι ἔχων, οἴχομαι φέρων*, quo nihil aliud significatur quam *mecum aufero.* sed res ipsa postulat, ut qui aliquid secum auferre dicitur, idem aliquo eat. recte igitur Theocritus dixit Id. XXII 168

ἴσκον τοιάδε πολλά· τὰ δ᾽ εἰς ὑγρὸν ᾤχετο κῦμα·
πνοιὴ ἔχουσ᾽ ἀνέμοιο.

venti enim admonitiones Lyncei portant in mare. recte item ipse Callimachus Lav. Pall. 40 *φυγᾷ τεὸν ἱρόν ἄγαλμα* | *ᾤχετ᾽ ἔχων.* atque eadem prorsus omnium locorum est ratio. In Callimachi autem epigrammate quo tandem calicem illum abiisse dicamus? calix immotus manebat eo quo antea loco fuerat, Erasistratus autem bibacitatis poenas luebat iustissimas. ex his apparet poetam propriam et nativam locutionis vim plane neglexisse et *ᾤχετ᾽ ἔχουσα* simpliciter dixisse pro *perdidit, abstulit.* Quod praeterea Valckenarius Callim. Eleg. p. 261 Hermanno ad Vigerum p. 776 et Heckero Comm. de Anth. I p. 14 probantibus scribendum esse pertendit *ᾤχεθ᾽ ἑλοῦσα*, ea certe non necessaria est correctio, quamvis frequentissima sit horum verborum in codd. permutatio*). Haeret enim vel sic dictioni Callima-

---

*) Apollonius Arg. III 178 *αὐτὰρ ἐγὼν ἐς δώματ᾽ ἐλεύσομαι Αἰήταο,* | *υἷας ἑλὼν Φρίξοιο.* non credo hic recte dictum esse *ἑλών*, sed scri-

cheae insolentiae vitium; neque verum esse puto quod affirmat Valckenarius, *ᾠχόμην ἔχων* significare *εἶχον*, *ᾠχόμην ἑλὼν* autem *εἷλον*. cuius locutionis cum plurima exempla apud Platonem prostare affirmat, fefellit virum eximium memoria. apud Platonem etiam in iis quos ipse plena manu affundit locis legitur *οἴχομαι ἀπιὼν* et *οἴχομαι ἀπελθὼν*, quae prorsus alius generis sunt.

XXXVIII 2—4.

Σιμώνη περίφοιτος εἰκόν' αὑτῆς
ἔθηκε, τήν τε μίτρην
ἣ μαστοὺς ἐφίλησε, τόν τε πανόν —

Elegantissimum epigramma, cuius partem supra adscripsi, ut nunc maximam partem sine offensione legi possit, Schneideri debetur acumini; insunt tamen etiam nunc non nulla, quae vitii suspicionem movent. in his primo loco pono illud *ἣ μαστοὺς ἐφίλησεν*, in quo non tantum articulum desidero, sed etiam *φιλεῖν* de strophio papillas tegente inepte dictum est. id sentiens Anna Fabri *ἐφύλασσε* coniecit, vereor ne invita Simone *περιφοίτῳ*, quam de tutandis papillis non magnopere sollicitam fuisse crediderim. scripsisse credo Callimachum quod edidi *ἣ μαστούς σφιν ἔδησε*, *quae vinciebat ei papillas.* de *σφὶν* i. e. *αὐτῇ* v. Buttmanni Lexil. I p. 60 et quae ipse attuli Diatr. p. 124. recte etiam *ἔδησε*, ut apud Catullum LXIV 63 *non tereti strophio lactentes vincta papillas.* cfr. Marcus Argentarius Anth. Pal. VI

---

bendum puto *ἔχων*. contra in Callimachi Fragm. CXXX. ex Etym. M. p. 137, 4 ubi vulgo *ἔχων* legitur, repone *ἀλλ' ἀπὸ τόξου | αὖτις ὁ τοξευτῆς ἄρδιν ἑλὼν ἑτέρου.* dixi de hoc fragmento in Bergkii Annal. Antiqu. doctr. 1845 p. 1066. sed fugit me tum de Hercule poetam loqui duos arcus gestante. v. Herod. IV 10.

201 *τὰ περὶ στέρνοις ἀγλαὰ μαστόδετα.* *Σιμώνη* nomen an recte restituerit Ruhnkenius dubitare licet. in codice, ut suo loco dixi, *σειμονη* scribitur et tres primae literae punctis subscriptae sunt, ut nil nisi *μόνη* fidem habeat, in quo forsan *Ἰώνη* latet, quod Bacchae nomen est apud Nonnum Dion. XIV 221. simile nomen *Ἰωνίς* ipse habet Callimachus Epigr. XXV 1. Ultimo versu *τόν τε πανόν* Schneideri est emendatio. non credo tamen recte *πανός* dici de face bacchica. cod. *τόν τε πᾶνα*, quod fortasse *τήν τε δᾷδα* scribere praestat.

XLV 3. 4.

ἦλθεν ὁ βοῦς ὑπ' ἄροτρον ἑκούσιος. εὖ γ' ἐμὸς Ἑρμᾶς,
εὖ γ' ἐμός. οὐ παρὰ τὰς εἴκοσι μεμφόμεθα.

Repetitum *εὖ γ' ἐμός* mihi quidem contra linguae usum dictum videtur, nec graecae tantum, sed cuiusvis, ut facile sentiet si quis in alium sermonem transferre volet. eam ob causam conieci *εὖ γ' ἐμὸς Ἑρμᾶς εὗρέ μοι*, *bene meus Mercurius, bene mihi rem instituit*, quod quanto rectius dictum sit quam *bene meus Mercurius, bene meus,* nemo non sentiet.

XLVI 7. 6.

ἔσθ' ἁμῖν χάκαστὰς ἀφειδέα πρὸς τὸν ἔρωτα·
τουτὶ παῖ κείρει τὰ πτερὰ παιδάριον.

Locus hic a criticis multum ultra citraque iactatus est. Ruhnkenii coniectura *κἀκεστύς* non tantum ob metricas rationes*)

*) Corripit quidem Callimachus ultimam in *νηδύς* Dian. 160 et in *ὀιζύς* apud Etymol. M. Gaisf. p. 72 E *ὁππότε κέ σφας ὀιζὺς ἔχῃ κρυεροῖο λιμοῖο* (leg. *βίοιο*), si tamen recte hunc versum Callimacho adscripsit Schneiderus apud J. Rauch de Aetiis p. 16. nec apud alios huius licentiae, si ita dicere placet, exempla desunt. cf. ad Theocritum p. 344. at verbalium substantivorum ultimam esse correptam nullo dum exemplo compertum est.

a Naekio in Opusculis reicienda erat sed etiam propter significationem vocis ἀκεστύς, quae non remedium indicat sed sanationem. Heckeri autem emendatio quamquam linguae non contraria, sensum tamen vix fundit tolerabilem. aliorum conamina ne commemoranda quidem duxi; at vel maxime commemorare debebam Bentleii coniecturam ab omnibus, qui hoc epigramma tractarunt, superbe dicam an inscite contemptam: ἔσθ' ἁμῖν καὶ παστάς, *est nobis et thalamus sive uxor remedium ad vagam libidinem.* sprevere autem haud dubie critici hanc emendationem ideo, quod ita duabus quas commendat poeta amoris medicinis subito tertium infertur remedium, quod eo ineptius videri potest, cum in fine carminis iterum poeta ad duo illa, poesin et inopiam, redeat. nihilominus verum vidisse Bentleium credo, sed hac lege ut mutato distichorum ordine scribatur:

οὐδ' ὅσον ἀττάραγόν τυ δεδοίκαμες. αἱ γὰρ ἐπῳδαί
οἴκοι τῶ χαλεπῶ τραύματος ἀμφότεραι.
ἔσθ' ἁμῖν καὶ παστὰς ἀφειδέα πρὸς τὸν ἔρωτα·
τουτὶ ναὶ κείρει τὰ πτερὰ παιδαρίων.

Iam vides opinor quam recte poeta tertium remedium tanquam corollarium duobus illis superaddat. de singulis haec sufficient: τύ redit ad Philippum; is enim est ille puer a cuius amore se tutum praestare cupit poeta. ἀφειδέα ἔρωτα Bentleius *vagam libidinem* interpretatur, malim de impotenti puerorum amore intelligere. τουτί nunc servandum puto. atticismos sat multos habet oratio Callimachi, quamquam plerosque ex genere synizesium. ναί recepi ex apographo Lips. nec video cur id frigere dicatur. sententia iam plana et perspicua est. *hoc profecto*, inquit, *scindit alas puerorum nec sinit superbos esse et insolentes, efficitque ne involent in pectus amare nolentium.* Pro αἱ γὰρ ἐπῳδαί scribendum esse αἱ δ' ἐπαοιδαί propter causam ad

Del. 257 allatam etiamnum credo. nec non apta particula *δέ*. nullum, inquit, abs te timeo periculum, remedia autem, quibus id effici potest, domi habeo. Ceterum de tautologica dictione huius carminis vide Diatr. ad Lav. Pall. 71.

XLVIII 1.

Εὐμαθίην ᾐτεῖτο διδοὺς ἐμὲ Σῖμος ὁ Μίκκου.

Simus histrio tragicus ridetur ab Alexide apud Athen. IV p. 160 a Callimacheo fortasse non diversus. is igitur dedicata Musis persona Dionysi precatus erat ab his ut quas acturus erat in Baccharum fabula partes rite disceret; res ultra spem feliciter cessit victorque renunciatus est. ita haec intelligo, non ut alii, qui *εὐμαθίην* ad puerilia Simi in ludo literario studia referunt. In sequentibus adhuc obscura sunt verba *ἀνὰ τήνδε — Σαμίου διπλόον* etiam post Bentleii et Jacobsii explicationes; nec quidquam proficitur animadversione Heckeri Comment. de Anth. ed. pr. p. 162. Postremo versu *ὄνειαρ* Callimachum dixisse pro *ὄνειρον* difficile ad credendum est, praesertim cum proverbialis locutio sit *τοὐμὸν ὄνειρον ἐμοί* (Cicero ad Attic. VI 9, 3) in qua tanto minus credibile est aliquid mutasse Callimachum, cum ne ipse quidem a genuina et recepta proverbii forma recesserit Epigr. XXXII 2 *μὴ λέγε πρὸς Χαρίτων τοὐμὸν ὄνειρον ἐμοί.* Legitur quidem *ὄνειαρ* pro somnio etiam in anonymi poetae epigrammate celeberrimo de Callimachi *Αἰτίοις* in Anth. Pal. VII 42.

ἆ μέγα Βαττιάδαο σοφοῦ περίπυστον ὄνειαρ,
ἦ ῥ' ἐτεὸν κεράων οὐδ' ἐλέφαντος ἔφυς.

Quo respiciens Eustathius ad Odyss. p. 1877, 64 haec scripsit: *ὀνέω τὸ ὠφελῶ, ἐξ οὗ καὶ τὸ ὄνειαρ πλεονασμῷ ὠνόμασέ τις ὄνειαρ καὶ αὐτὸ τὸ ὄνειρον, οἷον ὄνειαρ κεράτων*

οὐδ' ἐλέφαντος ὄν). ἐξ οὗ δῆλον ὅτι οὐκ ἐπὶ βρώματος μόνον λέγεται τὸ ὄνειαρ, ἀλλὰ πᾶν εἰς ὄνησιν ἐπιτήδειον οὕτω καλεῖται, ὁποῖόν τι καὶ ὁ ἀληθὴς ὄνειρος. οἱ γλωσσογράφοι μέντοι ἐπὶ βρώματος τὴν λέξιν ἰδίασαν.* Rectissime vero glossographi, quibus satis ostendunt Eustathii verba eum vocis *ὄνειαρ* significatum, quo de somnio dicitur prorsus fuisse incognitum. Itaque aut anonymo poetae suus error relinquendus est, aut ipse etiam scripsit *ὄνειρον.* nam *ὄνειραρ*, quod Scaligero praeeunte Blomfieldus Callimacho restitui voluit monstrum verbi est. cf. Heckerus l. l.

XLIX 3. 4.

Πάμφιλον, οὐκ ἐν ἔρωτι δεδαυμένον, ἥμισυ δ' ὤπται
ἰσχάδι καὶ λύχνοις Ἴσιδος εἰδόμενον.

Dubitare coepi an recte Bentleii emendationem, *δεδαυμένον* pro *δεδαγμένον*, probaverim, nec multum proficias si praeterea, quod ego suasi, *εὖ μὲν ἔρωτι* reponas. corrigendum potius *οὐκέτ' ἔρωτι δεδαγμένον*, i. e. *δεδηγμένον*, de qua forma v. Lobeckium Paralip. p. 402. add. Strato XII 15 *εἰ Γραφικοῦ πυγὴν* (leg. *πυγαῖα*) *σανὶς δέδακ' ἐν βαλανείῳ*, ubi leg. *δέδαχ'*. Agoranax, sive histrio sive poeta comicus, Pamphili amantis iuvenis partes sustinuerat, et reportata victoria personam Pamphili dedicat; hunc Pamphilum, h. e. personam eius, *οὐκέτ'*

---

*) Eustathium haec ex ipso illo Anonymi epigrammate apposuisse mihi quidem luce clarius videtur, neque probo J. Rauchium Comment. de Callimachi *Αἰτίοις* p. 10 in Callimachi carminis fragmentis ponentem verba *ὄνειαρ . . . κεράτων οὐδ' ἐλέφαντος ἐόν.* Quamquam enim non nego potuisse Callimachum in prooemio Aetiorum Homerica illa de eburnea et cornea porta imagine uti, hoc tamen minime certum est; nullo modo autem Eustathio auctore utendum erat, sed Anonymo. Praeterea non *κεράτων* scribendum sed *κεράων*, ut ostendi ad Theocriti Id. XXV 146.

ἔρωτι δεδαγμένον vocat, *non amplius amore excruciatum.* δάκνεσθαι ἔρωτι non infrequens dicendi genus est nec exemplis indigens. In sequentibus describi faciem personae rugosam et fuliginosam apertum est, non item quo spectet ἥμισυ, quod ad bipartitas personas a Polluce IV 141 et Quinctiliano Inst. XI 3, 74 memoratas refert Jacobsius. sed hoc incertum; certius est ὦπται corruptum esse. verbo finito nullum hic locum esse docere poterat criticos accusativus εἰδόμενον. neque enim εἰδόμενον pro neutro accipi potest, ut ab ἥμισυ pendeat, quod h. l. non substantivum est, sed adverbium. nec perfectum ferri potest, sed requireretur ὁρᾶται. scripsi igitur ὀπτῇ, *tostae caricae*, quo nihil ad h. l. aptius est; ac suboluit hoc iam Salmasio, qui teste Iuhgermanno ad Polluc. VI 82 ὄπτᾳ restituerat; at voluit sine dubio ὀπτᾷ, ad sententiam recte, ad dialectum male.

LI 1. 2.

Τέσσαρες αἱ Χάριτες· ποτὶ γὰρ μία ταῖς τρισὶ κείναις
ἄρτι ποτεπλάσθη κῆτι μύροισι νοτεῖ.

Si de viva Berenice haec intelliguntur, ut vulgo fieri video, non perspicitur, quo pacto probabilis verborum interpretatio institui possit. obscure et contorte Jacobsius Berenicen, ut adderetur Gratiis, formatam esse dicit deorum manibus, ideoque adhuc unguentis madere; deorum enim omnia esse fragrantia. his ambagibus non opus est, si de statua Berenices agi ponimus, quae recens ex officina sculptoris exierat. Unguentis statuas delibutas esse non ex hoc tantum loco discitur. cf. Anyte Anth. Pal. IX 144 de Veneris statua in maris litore posita: ὄφρα φίλον ναύτῃσι τελῇ πλόον, ἀμφὶ δὲ πόντος | δειμαίνῃ λιπαρὸν δερκόμενος ξόανον. de cognato more cippos inunguendi dixi infra ad Epigr. dub. I. p. 298.

LIII

*Καὶ πάλιν, Εἰλείθυια, Λυκαινίδος ἐλθὲ καλεύσης
εὔλοχος ὠδίνων ὧδε σὺν εὐτοκίῃ.*

In his male me habet *ὠδίνων εὐτοκία*, quae quomodo coniungi possint fateor me non intelligere; *ὠδῖνες* non *τίκτονται*. recte hoc perspexit Heckerus Comment. de Anthol. ed. pr. p. 113 male ille quidem, cum in altero loco Anth. *εὐτυχίῃ* in cod. scriptum sit, *εὐτυκίῃ* coniciens, quod minime aptum huic loco, qui mihi *εὐκολίῃ* requirere visus est. Quod suspicari possis, *ὠδίνων εὔλοχος* coniungenda esse, id ideo fieri non potest, quoniam *εὐτοκίη* aegre adiectivo vel genetivo adiectivi vicem explente careret.

LXVI 3.

ἀγκεῖσθαι χάλκειον ἀλέκτορα Τυνδαρίδῃσιν.

Non credo probari posse Heckeri Comm. de Anthol. I p. 152 sententiam, Evaenetum Tyndaridis propter curulem victoriam dedicare gallum existimantis, cui interpretationi praeter alia obstat quod non verisimile est gallum gallinaceum satis dignum tanto certamine munus fuisse habitum. quare verba *ἀντί με τῆς ἰδίης νίκης* ad victoriam refero, quam ipse gallus in certamine de compari rettulerat. De his certaminibus elegans est Ionis tragici locus Fragm. 53 *οὐδ' ὅγε (ἀλέκτωρ) σῶμα τυπεὶς διφυεῖς τε κόρας ἐπιλάθεται ἀλκᾶς, | ἀλλ' ὀλιγοδρανέων φθογγάζεται· | θάνατον δ' ὅγε δουλοσύνας προβέβουλεν,* quae ex Phoenice Ionis ducta esse suspicatus sum Philol. Gott. XV p. 142. cf. intpp. Aeliani V. H. II 28. Iam etiam melius intelligitur cur tam acriter inculcet gallus, se ipsum nescire an vera sint quae de victoria parta dicantur, sed fidem se habere Evaeneto id affirmanti. Quod autem Dioscuris gallum dedicat Evaenetus,

nihil mirum est, cum certamina illa magno studio spectata et Tyndaridae cuiusvis certaminum generis praesides habiti sint.

LIX

Εὐδαίμων ὅτι τἄλλα μανεὶς ὡρχαῖος Ὀρέστας,
Λεύκαρε, τὰν ἁμὰν οὐν ἐμάνη μανίαν.

Longissime a sensu huius carminis aberrare, qui id amatorii spurcique argumenti esse arbitrantur, unus omnium intellexit Iacobsius, de iis agi existimans, qui nimium suspicaces, dum amicorum animos novis semper periculis explorare conantur, postremo iis privantur. Haec in universum recte disputata sunt; sed poeta non tam de aliis quam de semet ipse loquitur. itaque suspicor hoc carmen ad inimicitias spectare, quas cum sodalibus in Museo Alexandrino exercuit, quorum animos nimio altercandi et reprehendendi studio abreptus a se abalienaverit. nota sunt Alexandrinorum poetarum inter se dissidia mutuaeque simultates, in quibus magnas partes Callimachi fuisse neminem fugit. Melius etiam argumentum carminis intelligeremus, si ea nobis epigrammata servata essent, in quibus amicos amarulentis dicteriis petiverat. credibile ex hoc genere fuisse illud, ex quo hunc nobis versum servavit Choeroboscus in Bekkeri Anecd. Gr. p. 1188 *δημεχθέα Χέλλωνα κακόκνημόν τε Κόμητα*, de quo vide quae ad Hesychii glossam *Κόμητα· ἕνα τῶν ἑπτά* disputavi Philol. Gott. XIV p. 44. Ad huius argumenti epigrammata respexit fortasse etiam Meleager Carm. I 21 coronae suae se intexuisse dicens *Δαμαγήτου ἴον μέλαν ἡδύ τε μύρτον | Καλλιμάχου, στυφελοῦ μεστὸν ἀεὶ μέλιτος*, quibus alii dulcem amoris amaritiem significari opinantur.

Ad singula ut veniam, secundum versum optime restituit Schneiderus Proleg. ad Callimachi *Αἴτια* p. 13. *Λεύκαρος* no-

men a *Λεῦκος* formatum in rarioribus est, sed certa auctoritate Aristotelis apud scholiastam Pindari Nem. III 27 munivit Schneiderus*). Eiusdcm commatis sunt *Κόνναρος* a *Κόννος*, *Κίνναρος* a *Κίννα*, *Τεύταρος* a *Τεῦτα*, *Πίνδαρος* a *Πίνδος*, *Πίναρος* a *πίνος*, *Κύλλαρος* a *κύλλος* deflexa. versu quarto presse cod. vestigia (*ἄλλαι χ' ἓν* vel *αλλαιχεν*) secutus scripsi *ἀλλ' ἀεὶ ἕν*. nihil fere mutatum vides, *χ* e spiritu in *ἓν* natum est. *ἀεί* pro pyrrhichio est etiam Del. 26 *θεὸς δ' ἀεὶ ἀστυφέλικτος*. fortasse tamen praestat scribere *ἀλλά νιν ἕν*, quae non minus lenis emendatio est. Quod Iacobsius edidit *ἄλλαν, χ' ἓν δρᾶμ' ἐδίδαξε μόνον*, ipse sic interpretatur: nec denuo amicum exploravit novo experimento, uno illo contentus dramate, quo Pylades sponte fidem erga amicum probavit. sed haec contorta est sententia et contorte expressa, nec melius est quod in addendis coniecit *ἀλλ' ἀρχήν*. Mihi poeta hoc dicere videbatur: non molestus erat amico novis semper tentamentis et importunis reprehensionibus, sed unum identidem facinus eum docebat, h. e. perpetuo illi ut fortem et fidelem amicum se praestaret inculcabat. *οὐδ' ἔλαβ' ἐξέτασιν* dictum est ut *πεῖραν λαμβάνειν*. compares Theognin 1015 *ἐξετάσαι τε φίλους ὅν τιν' ἔχουσι νόον*. Postremo versu *τοὺς πολλούς* non pro *πολλούς* dictum est, qui enim id fieri possit? sed sensus est: non amplius multos illos, quos olim habui, amicos habeo. vereor tamen ne hic quoque ludat nos error scribarum, poeta autem scripserit non *ΠΟΛΛΟΥΣ* sed *ΠΑΛΛΟΥΣ*, quae aeolica forma est pro *παλαιούς*. de aeolismis Callimachi dixi Diatribe ad Del. 248.

*) Eodem pertinet nomen *Λευκαρίων* (Suidas), cui comparandum *Πυγμαρίων* (v. supra p. 164) *Ζωναρίων Ζωπυρίων Τιμαρίων* alia, quae omnia deminutivam vel hypocoristicam vim habent.

LXI

Αἴνιε, καὶ σὺ γὰρ ὧδε, Μενέκρατες, οὐκ ἐπὶ πουλύ
ἦσθα· τί σε, ξείνων λῷστε, κατειργάσατο;

Recte Ruhnkenius apud Ernestum *Αἴνιε*, quod malis coniecturis vexatum est, ad Aenum Menecratis patriam referendum vidit; quod autem ideo aptum Thracicae urbis nomen esse dicit, quoniam Thraces strenui potatores fuerint, nimis longe petitum est. In eodem versu nollem cum aliis Zedelii quamvis optime de hoc carmine meriti coniecturam recepissem. codicis scriptura est *οὐκέτι πουλύς*, in qua non video quid reprehendendum sit, modo pro *ἦσθα* praesens *εἶσθα* restituas. sensus hic est: Aenie Menecrates, nam tu quoque hic sepultus iaces; non tu es qui fueras, ex magno corpore in levem cinerem redactus. sic enim verba *οὐκέτι πουλὺς εἶσθα* intelligenda sunt. cf. Sophocles El. 1131 de cineribus Orestis *σμικρὸς προσήκεις ὄγκος*. Propertius V 11, 14 *en sum quod digitis quinque levatur onus*. *πολύς* de magna statura corporis dixit Plato Phaedro p. 253 d *ἵππος πολύς*. neque alio sensu Aratus Phaen. 643 Orionem dixit *πολλὸν ἐόντα*. Disiunctorum nominum *Αἴνιε Μενέκρατες* simile exemplum habes apud Rhianum Anth. Pal. V 278 *Φοῖβε σὺ δ' ἵλαος Δελφίνιε κοῦρον ἀέξοις*. verba *καὶ σὺ γὰρ ὧδε* similiter interposita sunt, ut *οὐ γὰρ ἔτ' ἐσσί* Epigr. IV 1. de *εἶσθα* ne dubites, ut alia mittam, compara *ἔχεισθα* Theogn. 1316. et quae collegit Baumeister ad Hymnos Hom. p. 321.

LXIII 3. 4.

οὕτως ὑπνώσαις, ἀδικωτάτη, ὡς τὸν ἐραστήν
κοιμίζεις, ἐλέου δ' οὐδ' ὄναρ ἠντίασας.

Speciosum est quod Heckerus Comment. de Anth. ed. pr. p. 30.

coniecit *ἀντιάσαις*. sed necessitatem mutationis non agnosco. verbum hoc cum genetivo coniunctum proprie significat *participem esse alicuius rei*, ut in exemplis a Buttmanno Lexil. I p. 9 collectis. itaque is qui ab omni misericordiae sensu alienus est recte dici potest *οὐκ ἀντιάζειν ἐλέου*, *cum misericordia nihil communionis habere*. Quod autem de parilitate membrorum dicit Heckerus nihil est. cohaerent enim haec sic *ὡς τὸν ἐραστὴν κοιμίζεις καὶ ἐλέου οὐδὲν ἠντίασας*. poenam inhumanitatis in ultimis demum verbis *ἡ πολιὴ δέ* durae puellae denunciat. vides igitur tolli potius ista emendatione parilitatem membrorum quam adiuvari. praeterea non attendit Heckerus poetam non *μηδ᾽ ὄναρ* dixisse, sed *οὐδ᾽ ὄναρ*, quod, si illam rationem sequare, soloecum est. hoc nomine praestat sine dubio quod Boissonadus coniecit *ἐλέου δ᾽ οὐδ᾽ ὄναρ ἠντίασα*, i. e. *ἔτυχον παρὰ σοῦ*. sed ne hoc quidem necessarium est, quamquam *ἐλέου ἀντιάζειν* hoc sensu dici potuisse non dubitandum est. Neque magis probarim quod in sequentibus coniecit Heckerus *αὖτις ἀναμνήσει* pro *αὐτίκ᾽ ἀναμνήσει*, in quo *αὐτίκα* sic intelligendum est ut in locis ad Moschi Carm. II 166 indicatis. cf. ad h. in Del. 88. quibus adde Aratum Phaen. 770 *τῶν εἴ κ᾽ ἐθέλῃ καὶ ἐσαυτίκα δώσει* et 1103 *τὰ δὲ πὰρ ποσὶ πάντες ἑτοῖμοι | σήματ᾽ ἐπιγνῶναι καὶ ἐσαυτίκα ποιήσασθαι*. Vides *αὐτίκα* saepe nihil differre ab *ὕστερον*, et frustra tentari a Jacobsio in Addendis ad Anthol. p. XLV Crinagoram Anth. Pal. VI 342 *καὶ αὐτίκα τῶνδ᾽ ἀπ᾽ ἰούλων | Εὐκλείδην πολιῆς ἄχρις ἄγοιτε τριχός*.

LXVI. LXVII

Εἰμὶ τέρας Καλυδῶνος, ἄγω δ᾽ Αἰτωλὸν ἄρηα.

De hoc versu quid sentiam explicui in adnotatione; atque etiam

nunc ita statuo, epigramma esse sive malis epigrammatis partem clypeo nescio cuius Aetolorum ducis inscripti, scholiastam autem illum versum eo tantum consilio attulisse ut *Αἰτωλὸν ἄρηα* etiam Callimachum dixisse doceret. sed *τέρας* an recte explicuerim re iterum pensitata vehementer dubito, atque nescio an pro eo *γέρας* scribendum sit, *Καλυδών* autem ipsum ducis nomen fuerit, scuto propter bellicam virtutem donati. Calydonis nomen non sine exemplo est; ut mythicum cognominis urbis conditorem omittam, nota est Isaei oratio *κατὰ Καλυδῶνος*, ab Harpocratione plus semel commemorata. ad *Αἰτωλὸν ἄρηα* compara Del. 173 *Κελτὸν ἀναστήσαντες ἄρηα*. de vulgari verborum interpretatione ob eam quoque causam dubito, quod *τέρας Καλυδῶνος* pro *τέρας Καλυδώνιον* dici non potest. Ut *τέρας* de insigni artis opere dictum illustrarem abusus sum loco Theocriti Id. I 56 ab Ahrensio ita edito:

αἰολίχον τοι θᾶμα τέρας τέ τι θυμὸν ἀτύξαι.

sed hic ipse locus magnas habet difficultates, quas alii aliter expedire conati sunt; ego hoc unum video ne hic quidem *τέρας* de opere affabre facto dictum esse, ac fortasse hic etiam *γέρας* scribendum est; sed de hoc viderit Ahrensius noster, non recte, opinor, versum hunc de hedera totum poculum ambiente intelligens.

Epigrammatis partem etiam sequens fragmentum esse credidi, *Λυδή καὶ παχὺ γράμμα καὶ οὐ τορόν*. inscripserat hoc Callimachus codici, quo Antimachi Lyde continebatur, de quo Graecorum Latinorumque more v. Heckerum Comm. de Anthol. Gr. vol. I p. 184. e Callimacheis huc referenda sunt Epigr. VI in Creophyli *Οἰχαλίας ἅλωσιν* et XXVII in Arati Phaenomena.

Praeterea epigrammatum fragmentis suspicari licet praeter ea quae ad Epigr. LIX attuli etiam alios quosdam versus addendos esse sine carminis unde ducti sunt indicio citatos; sed plero-

rumque valde incerta est ratio, nec iuvat dubiis coniecturis indulgere. ex hoc genere est quod J. Rauch huc traxit elegiacum fragmentum (XI Bentl.) pulcerrimum a Stobaeo Flor. 115, 11 servatnm cum lemmate ἐπῶν πρῶτον, ubi meo iudicio verissime vix una litera mutata scripsit Bentleius αἰτίων πρώτῳ. At non convenit argumento libri primi Aetiorum. nimirum ei argumento, quod sibi finxerunt viri docti. Aliquanto probabilius idem vir doctus p. 1↓ anonymi poetae distichon apud Frontonem Epist. I p. 22, quod recte Callimacho vindicavit Bergkius, ad epigrammata refert:

Ποιμένι μῆλα νέμοντι παρ᾽ ἴχνιον ὀξέος ἵππου
'Ησιόδῳ Μουσέων ἑσμὸς ὅτ᾽ ἠντίασεν.

Minus etiam Hemsterhusio obloquar, qui eodem rettulit haec a Stobaeo Flor. 59, 10 servata sive apud Bentleium Fragm. CXI.

εὖτ᾽ ἀνέμῳ μεγάλῳ κῦμα διωλύγιον
* * * * * * *
τρίσμακαρ. ἦ πανρων ὄλβιός ἐσσι μέτα,
ναυτιλίης εἰ νῆιν ἔχεις βίον· ἀλλ᾽ ἐμὸς αἰών
κύμασιν αἰθυίης μᾶλλον ἐσῳκίσατο.

Sic enim haec virorum doctorum emendationibus adiutus constituenda arbitror. ad διωλύγιον referenda videtur glossa Hesychii Διωλύγιον· ἠχοῦν ἐπὶ πολύ. initio sequentis versus fuit opinor κινεῖται. pro ἀνέμῳ μεγάλῳ legitur vulgo ἀνέμων μεγάλων, quod speciosius aliquis quam verius defendat Homerico παντοίων ἀνέμων. quarto versu vulgatur τρίσμακαρ ἢ πανρων, in quibus emendandis frustra critici laborarunt. apertum est τρίσμακαρ ad ea quae interciderunt trahendum fuisse. cetera alii emendarunt. loquitur autem mercator nauta qui naufragio obiit. hinc recte legi apparet aoristum ἐσῳκίσατο, male olim a nonnemine tentatum.

AD EPIGRAMMATA DUBIA

I

Στήλην μητρυιῆς μικρὰν λίθον ἔστεφε κοῦρος,
ὡς βίον ἠλλάχθαι καὶ τρόπον οἰόμενος.

Suo iure Bentleius *pusillum* illum lapidem in vitii suspicionem adduxit; non sufficere tamen quod coniecit *μιαρὰν λίθον*, quamquam probatum ab Hemsterhusio ad Lucianum vol. I p. 169, intellexit Jacobsius, male is quidem in cod. scriptura acquiescens. non acquievit Toupius, at plumbeum est quod coniecit *μακρὰν λίθον*. requiri opinor aliquid, quo etiam magis pietas infelicis pueri patescat, qui non satis habens lapidem sertis implicuisse, etiam unguentis eum unxerat. quare scripsi:

στήλην μητρυιῆς λιπαρὰν λίθον ἔστεφε κοῦρος.

Cipporum unguentis delibutorum haud infrequens est memoria, velut apud Erycium Anth. Pal. VII 37 *αἰεί τοι λιπαρῷ ἐπὶ σήματι, δῖε Σοφόκλεις, | κισσὸς ἄλοιτο πόδας.* et in carmine incerti poetae Anth. Pal. XI 8

μὴ μύρα, μὴ στεφάνους λιθίναις στήλαισι χαρίζου,
μηδὲ τὸ πῦρ φλέξῃς· εἰς κενὸν ἡ δαπάνη.
ζῶντί μοι, εἴ τι θέλεις, χάρισαι. τέφρην δὲ μεθύσκων
πηλὸν ποιήσεις κοὐχ ὁ θανὼν πίεται).*

---

*) Idem hoc carmen e lapide sepulcrali post Niebuhrium Comment. Acad. Berol. 1822 p. 252 edidit Welckerus Syll. epigr. p. 90, ubi quod additur distichon:

τοῦτ' ἔσομαι γὰρ ἐγώ· σὺ δὲ τούτοις γῆν ἐπιχώσας
εἴφ' 'ὅ τι οὐκ ὢν ἦν τοῦτο πάλιν γέγονα',

frustra exercuit Welckerum. Scribendum *σὺ δ' ἐπ' ὀστοῖς* vel *σὺ δέ γ' ὀστοῖς γῆν ἐπιχώσας*, mutatione facillima, *ΓΟΣΤΟΙC* pro *ΤΟΥΤΟΙC*. Sequentia emendavit Heckerus; in lapide est *ΕΙΠΕ ΟΙΕΟΥΚΗΝΤΟΥΤΟ*.

Latissime hic mos patebat, adeo ut etiam triviales lapides praetereuntium adorationi expositos unguerent sertisque ornarent. v. Casaubonum ad Theophr. Char. XVI p. 180 ed. Lips.

III

Πολλάκι δὴ φυλῆς Ἀκαμαντίδος ἐν χοροῖσιν ὧραι
ἀνωλόλυξαν κισσοφόροις ἐπὶ διθυράμβοις.

Elegantissimum carmen, cuius primos versus supra adscripsi, quo errore inter Callimachea ab editoribus receptum sit, nec scio nec quaerere operae pretium est. satis est constare Simonidis esse. quare ne inter dubia quidem vel spuria posuissem, nisi illud uno alteroque loco emendatius exhibere mihi contigisset, certe contigisse mihi existimarem. Post quintum versum duos versus excidisse statuenti Heckero Comm. de Anth. I p. 150 lubenter assentior. *σοφοὶ ἀοιδοί* nisi de poetis dici non potest, sequentia autem de choreutis dicuntur; horum igitur memoriam poeta in iis quae interciderunt iniecerat. Tertium distichon

οἳ τόνδε τρίποδα σφίσι μάρτυρα βακχίων ἀέθλων
ἔθηκαν· κείνους δ' Ἀντιγένης ἐδίδασκεν ἄνδρας,

nondum recte emendatum est. pro *ἔθηκαν* Bentleius *θήκαντο* scribebat; at non verisimile est poetam in tam brevi carmine variasse formas *θήκαντο* et *ἔθηκαν*, quarum altera *θήκαντο* omnino Simonidem non credo usurum fuisse. quare etiam quod Schneidewinus et Heckerus coniecere *θήκαντο· Κεῖος δ' Ἀντιγένης* reiciendum est. hoc nomine rectius Bergkius scripsit *θῆκαν· Κικυννεὺς δ' Ἀντιγένης*. mihi aliquando verbis transpositis scribendum videbatur *βακχίων ἔθηκαν | ἀέθλων· ἐκείνους δ' Ἀντιγένης*, in quo *ἀέθλων* bisyllabum est ut apud Archilochum Fragm. 102. nunc praetuli *ἔθηκαν· εὖ τούσδ' Ἀντιγένης*. neque enim credibile est Antigenem sine laude com-

memoratum esse a poeta, praesertim cum statim Aristonem praeclaro ornaverit praeconio εὖ δ' ἐπιθηνεῖτο γλυκερὰν ὄπα Δωρίοις Ἀρίστων κτἑ. Versu octavo

Ἀργεῖος ἡδὺ πνεῦμα χέων καθαροῖς ἐν αὐλοῖς,

displicent καθαροὶ αὐλοί. non displiceret hoc adiectivum e. c. de chordis dictum, *rein gestimmt*, at de tibiis dictum nescio quo pacto intelligi possit. eam ob causam suspicatus sum poetam scripsisse πνεῦμα χέων καθαρῶς ἐν αὐλοῖς, i. e. ἀπηκριβωμένως, ut dicitur καθαρῶς διαλέγεσθαι, *pure et nitide*. nec bene tibiis duplex epitheton tribuitur, Δωρίοις καθαροῖς ἐν αὐλοῖς. Versu decimo ἅρμασιν ἐν Χαρίτων φορηθείς, vehementer miror Heckero offensioni fuisse ἅρματα numero plurali de uno curru dictum, ideoque ἀγκάσιν corrigenti. ἅρματα rectissime sic dici ex Homero aliisque notissimum est. In postremo disticho:

αἵ οἱ ἐπ' ἀνθρώπους ὄνομα κλυτὸν ἀγλαάν τε νίκαν
θῆκαν ἰοστεφάνων θεᾶν ἕκατι μοισᾶν,

fortasse recte Heckerus ὀνομάκλυτον scribi maluit, sed ultimum versum, quem adscripsi ut in cod. legitur, non meliore successu emendavit quam alii. corrigunt enim Μοισᾶν ἕκατι θῆκαν ἰοστεφάνων θεάων, vel ἕκατι Μοισᾶν θ. ἰ. θεάων, vel Μοισᾶν θεάων θ. ἰ. ἕκατι. Quorum omnium nihil Simonidea Musa dignum videtur. *ΘΕΑΝ* quocunque loco ponas moleste abundat et corruptum videtur ex *ΟΡΑΝ* i. e. *ΩΡΑΝ*, errore ut vides, proclivi. hinc correxi

ὡρᾶν ἕκατι θῆκαν ἰοστεφάνων τε μοισᾶν.

Ceterum in postremo hoc disticho, quod nescio quo iudicii errore Schneidewinus pro spurio abiecit, subtili consilio poeta doricis formis usus est; altius enim in fine carminis assurgit oratio, cui haud parum magnificentiae ex ipsis doricae dialecti for-

mis conciliatur, quod etiam de aliorum carminum dorismis dicendum est.

VI

Θηρῶν μὲν κάρτιστος ἐγώ, θνατῶν δ' ὃν ἐγὼ νῦν
φρουρῶ, τῷδε τάφῳ λαΐνῳ ἐμβεβαώς.

